

## DE LINGUA ET PARODIA IN PETRONII *SATYRICIS*

ANTONIUS ALOYSIUS KALENIĆ  
Filozofski fakultet u Zadru  
*Faculty of Philosophy in Zadar*

UDK: 871.09 PETRONIUS  
Izvorni znanstveni članak  
*Original scientific paper*

Primljeno: 1999-05-10  
*Received*

Primum scriptor interpretabatur de generibus sermonum in Petronii *Satyricis*. etenim, quamquam in commemorato opere multa et inter se maxime varia sermonum genera variantur, est tamen, quod mireris nullum horum sermonum esse in conspicuo contrastatu, qui ei intercedat cum narrandi tono veluti principali. etiamsi non est dubium, quin inveniantur differentiae, quae sint inter linguam litterariam et cotidianam, hae linguae praecise terminari non possunt. attamen si a definitione notionis sententiae profecturus es vi propositionis definita enuntiatio, quod unito flumine adfectivo ductum est et cuius significatio in se conclusa est, tum linguam litterariam pro rata parte paucis elementis adfectivis ac multis intellectualibus contineri, cotidianam contra hoc plurimis elementis adfectivis ac personalibus, multo minus intellectualibus contineri dicendum tibi erit. sed circumscriptione, quae ad numerum maiorem elementorum adfectivorum in lingua cotidianam, intellectualium in litteraria revocat, non sufficiente adferebat scriptor alia quoque elementa, quae nos adiuverent ad linguam litterariam a cotidianam distinguendam. quae elementa in ipsis exemplis, quae in Petronii *Satyricis* reperiebantur, perspecta sunt. sunt autem haec primum sermonis cotidiani inclinatio ad compositionem propositionis paratacticam. deinde eius notarum praecipue commemorata sunt elementa sermocinandi adfectiva, ut exclamationes, adiurationes et obtestationes, imperativi, particulae adfirmandi et negandi, particulae interrogativae, mechanisatae formulae interrogandi, sententiae adfectivae breves, elementa adfectiva in sententiis intellectualibus. tum collocutoris partes sunt dictae in manifestatione cogitationis propriae et respectus, qui ad auditoris personalitatem habetur. tum etiam mentio de linguae cotidianae linea sensitive animadversiva facta est. denique ac postremo natura linguae cotidianae trivialis et parca commemorata est. si distributionem quandam intra sermonem cotidianum in *Satyricis* facere velimus, tum sermonem cotidianum Encolpii atque eius sociorum sermoni urbano, linguam autem Trimalchionis circuli una cum lingua plebeis ordinibus adscriptorum sermoni plebeio in universum inserere possumus.

Satirae Menippeae genus litterarium ad stilum sublimem parodiandum iam forma traditionalis fuerat. etenim iam Franciscus Bücheler ad compositionem fabulae in *Satyricis* Encolpii cum Priapo usus maximum habere momentum respexerat nec non postea Elimarus Klebs prosperis ex argumentis consecutus est, ut demonstraret Priapi iram illum esse factorem, qui non firme coniunctas narrandi partes conglutinaret. quam iram ad actionem *Satyricorum* fabulae eandem significationem ac Posidonis iram ad actionem in Homeri *Odyssea* habere certum est. etenim margo Petronii operis Encolpii peregrinatione Ulixee fingitur. quam ob rem dubitari nequitur, quin dictum opus Homeri carminis epici parodia sit. Homeri autem carmen per parodiam temptando quaerebat re vera Petronius de oppositione contemporanea, quae inter sermonem cotidianum et litterarium intercedebat.

Sermo communis et poeticus apertissime alter alteri opponuntur in sententia "saepius poetice quam humane locutus es" (*sat. c. 90,3*), qua sententia Encolpii primam personam gestans Eumolpum poetam adfatur. ergo: sermo poeticus non est sermo humanus atque ideo poeta, dum poetice loquitur, non lingua humana loquitur. atqui quaestionis in hoc articulo de oppositione inter humanum et poeticum intellegendae multum intererat hanc oppositionem non inde a prima hominum memoria valuisse, sed fuisse quondam tempus, cum poetica lingua esset vere humana in propria significatione huius vocis. quem ad modum oppositio inter poeticum et humanum novam quandam oppositionem aperiebat - oppositionem, quae inter productionem artificiosam contemporaneam et praeteritam illam intercedebat. priscis enim temporibus tantum aberat, ut artes ingenuae inhumanae essent, ut etiam longe humanissimae putarentur. quae autem ad productionem artificiosam contemporaneam pertinebant, hanc designabat abyssus, qui inter linguam et realitatem apertus erat. Ita horizon quaestionis huius articuli nova quaestione dilatabatur: quibus de causis res ita se habebant? quam ipsam quaestionem Petronius in *Satyricis* ponendo quaerebat de veritate sermonis productionis artificiosae contemporaneae ita, ut veritatem sermonis propriae hereditatis litterariae in temptationem induceret. ridicula imitatio Homeri *Odysseae* erat eodem tempore temptatio omnium traditione consecratorum litterariorum generum.

Quae ad Eumolpi disceptationem de eo, quomodo historia poetis tractanda esset, atque de bello civili carmen epicum, quod adlatas rationes theoreticas illustraret, pertinerent, ea scriptor censebat ad ipsum Lucanum eiusque *Pharsaliam* spectare. esse interim in Eumolpi reprehensione critica Lucani poesis atque in eius experimento poetico quaedam, quae nullum interpretatorem respicuisse. nempe Eumolpi illud *ambages deorumque ministeria* dicere voluisse verum historiae multo profundius esse, quam quod casibus historicis visibilibus exhauriri posset. munus enim esse poeticae phantasiae in eo, ut in eius carmine in medium proferretur atque in luce poneretur etiam illud invisibile, quod sensu nostro percipi seu oculo cerni non posset, at quod tamen sine dubio realitas historica esset, nonnumquam etiam verior illo visibili et illo, quod facile oculis videretur. non impugnatam veritatem huius realitatis, quam in historia cum maxime agentem esse, tamen solitis et usitatis scientificis argumentis demonstrari non posse. contra hoc Lucani epicam interpretationem esse seriem simulacrorum visibilibus, in quibus poetam se intra fines continentem fontium historicorum religiosae orationis sub testibus fide observata exposuisse aliud post aliud singula deverticula, quae non fuisse semper in interiore inter se nexum adducta. illud

autem invisibile, quod universa quae facta esse in unitum sententiae totum contrahere, id a Lucani carmine epico afuisse. nempe ab Eumolpo reprehendi absentiam huius invisibilis in Lucani arte poetica et in epico experimento suo hoc invisibile adduci in scaenam. nam ipsos deos in carmine perficere, ut in eo in luce poneretur etiam illud, quod quidem oculis non videretur, sed quod tamen re vera fieret. existentiam et veritatem huius invisibilis divinis elementis adhibitis supra omne dubium sublatas esse. quem ad modum dubium non esse, quin etiam invisibile re vera esset. verum historicum hoc modo nancisci cohaerentem plenitatem suam. quam plenitatem invisibili demum completam esse id, quod re vera esse.

Eumolpi igitur de bello civili experimentum epicum parodia erat ipsius Lucani *Pharsaliae*. sed sententia et intentio huius carminis epici e rerum demum condicione, in qua componeretur, intellegi poterat. fraudator et nebulo loquebatur voce probi et iusti hominis. nam in eo erat, ut auctores novi stili perseveravissent re vera in linea augendi discidii inter sermonem et realitatem et coepissent credere contactu cum tempore praesenti originali amisso sermonem esse illud, quod essentiae eius prorsum contrarium esset: instrumentum manuale, quod perficere, ut ratio nostra consilio et via abuteretur illa captiosa potentia, quae in verbis lateret. ergo: veritas linguae ut controversiae hic evanescit et species a vero clare discerni nequitur.

Denique ac postremo scriptor etiam enuntiatum, quo Encolpius Eumolpum adfatus erat, enodavit. nam sermo poeticus nihil aliud quam ipse sermo humanus est. qua in sententia inter se duo phaenomena opponebantur ad hunc modum, ut in innaturalitate huiusmodi oppositionis alienatio hominis illorum temporum a sua ipsius historia patefieret. Petronii parodia erat re vera διήγημα πλασματικὸν παρὰ τὴν ἱστορίαν atque eodem tempore contemporaneitatis suae critica essentialis - Romanensis fabula, quae controversiam epico cum carmine iniens quaerebat de veritate et inclinatione momenti historici sui. huic autem quaestioni locum praebat ipsa lingua, ergo: medium domiciliare omnis entis intellegendi. nam homo ut homo semper est in historia atque ideo semper - in lingua.

**EXORDIUM.** Verum est totum. "Quoniam scientificè demonstratum est aevum hellenicum incepisse a morte Alexandri Magni,..." - ita in nuperrime prospere defensa dissertatione ad gradum scientificum doctoris scientiarum philologicarum acquirendum perlegere potuisti. dissertatio debet ostendere candidatum esse capacem scientifici operis independentis efficiendi. sed - qualis dominus, talis et servus. ut primum huiusmodi nescio quid perlegisti, interrogandum tibi fuit: resciveratne re vera candidatus, quid scientia esset? seu: potuitne vere demonstratum esse medium aevum finivisse et novum incepisse illo ipso tempore, cum Mehmed II el Fatih Constantinopolin cepisset? aut, cum Iohannes von Soregenloch zum Gutenberg Maguntiae 42-zeilige Bibel publicavisset? aut, cum Christophorus Columbus Americam nactus esset? quota hora? seu fortasse etiam: quoto minuto?

Per se intellegitur discipulos ignorantiae magistrorum suorum non adcusandos esse. attamen his rebus ita se habentibus operae pretium est et discipulum et magistrum admonere scientiam non consistere in veris sine ulla controversia demonstratis et - multo minus - in secretis, quae in acervo

vocabulorum externorum et sententiarum obscurarum habeant locum; hic nullam mysticam inveniri; vera scientifica tamen multo simpliciora esse.

Vera sunt et occasus Imperii Romani Orientalis et ars typographica inventa et America reperta. vera sunt et medium et novum aevum. verus est et hellenismus. nihil minus vera quam ullum verum e physica. quin immo veriora sunt. quando quidem atque eorum fundamentum substantiale latius est. sed non ideo, quia scientificè demonstrata sunt, seu, quia ea propter eorum demonstrati proprium in maiore habemus honore quam non demonstrata. veriora sunt haec vera ideo, quia nobis perficiunt, ut demum alter cum altero colloquamur de toto humanae, atque idcirco etiam nostrae, historiae, ut huius historiae participes fiamus et ut hoc modo nos quoque ipsos melius intellegamus. nam scientia ut cognitio est systematica inventio et methodice fundata interpretatio veri; verum autem est - totum. non enim est verum extra hoc totum, etiamsi hoc totum, dum de eo colloquimur, semper denuo in quaestionem vocamus.

Uno verbo: sciendum est nobis talia vera - qualia sint exempli causa vera historiae et artis et philosophiae - ultra scientificam illam methodologicam verificabilitatem inveniri, sed nihil hac de causa minus vera esse quam ullum verum scientiarum quae dicuntur exactarum et severarum. haec vera etiam severiora sunt. at severiora exactis veris sunt pro ea ipsa ratione, qua profundius fundata sunt.

**Meum propositum.** Equidem hic neque de hellenismo neque de medio neque de novo aevo interpretabor, sed de parodia in Petronii *Satyricis*. at, si res ita se habet, totum quoque semper mihi spectandum est atque eo ipso etiam id, ut hoc in toto et hellenismo et medio et novo aevo locus sit, ergo - phaenomenis, quae, licet scientificè non sint demonstrata, tamen vera sunt. primum igitur interpretaturus sum de notis linguae Petronii *Satyricorum* propriis. deinde interpretaturus sum de parodia, quae hoc in opere clare adparet, tum de ratione, quae intercedit sermoni litterario et cotidiano alteri cum altero, - et quidem ita, ut hanc rationem edicit ipsum Petronii opus, - de ratione igitur, quae clarissime adparet in ratione huius operis cum propria spiritali hereditate. postremo dicam, quid mihi videatur.

**Præcedens admonitio.** Sed prius - oro lectorem benevolum, ut hanc quoque digressionem mihi permittat - etiam hoc dico. valde attrahens textus ingeniosi operis Arbitris elegantiae in Neronis aula - ergo: operis, ad quod re vera hic nostra interest - in ipsa Croatia, et quidem Tragurii circa annum 1650 a Marino Statilio collectione in privata manu scriptorum Nicolai Cippici repertus est. Cippicorum familia de hoc, quid re vera in propria inveniretur collectione, nihil suspicabatur. hoc enim manu scriptum - *codex Traguriensis nunc Parisiensis lat. 7989* - solus nobis completum exemplar inclitae *cenae Trimalchionis* servavit.

**I. DE SERMONUM GENERIBUS IN PETRONII SATYRICIS.** *Satyricorum* lingua. Sermo narrandi in *Satyricis* est sermo urbanus, id est: sermo cotidianus Romanorum eruditorum Petronii aetatis. qui sermo permittit sibi quasdam licentias in severiore litterario sermone impermissibiles. lingua autem, qua loquitur Trimalchio eiusque socii est maxima ex parte Italiae meridionalis sermo communis - sermo plebeius. qui sermo enuntiatis vulgaribus, vitiis orationis, idiotismis abundat. enuntiationes sermonis

Latini vulgaris plerumque in ea *Satyrlicorum* parte, qua *cena Trimalchionis* continetur, quae, quamquam bis fere minor reliqua textus servati parte, ad quinque plures vulgarismos complectitur. praeterea, hic praesertim adparent proverbia et modus dicendi proverbialis, qui etiam ceteroquin denotat linguam primitiviorum numerorum socialium. verum hoc Petronii opere, quod valde vivam imaginem parvorum burgensium vitae imperii Romani eius aetatis refert et in quo in scaenam prodeunt personae ex variis ordinibus socialibus, omnino maxime varia sermonum genera continentur: a lingua Latina elegantissima usque ad illum maxime vulgarem sermonem angipertorum et speluncae ὁ κυνικὸς τρόπος et κυναϊδολογία. huius modi variatio res est singularis in tota litteratura Romana. praeterea - id, quod, lector benevole, habes, cur praecipue mireris - sentis nullum sermonem eius personarum esse in nimio contrastatu cum elegantia narrandi primam personam gestantis et quamquam sermonibus cum maxime variantibus toni narrandi principalis ὄσστασιν ne minime quidem turbari. hoc est illud magnum, quo Petronii *Satyrlica* incendunt, opus, quod praecipua proximitate sermonis sui et vi dramatica describendi etiam hodie lectoris animum ita directim commovet, ut nullum aliud opus ex antiquitate.

**De differentiis quae intercedunt inter sermonem litterarium et cotidianum principalibus.** Quamquam dubium non est, quin sint clare adspectabiles differentiae, quae inter sermonem litterarium et cotidianum intercedant, hi sermones propter rationes faciles intellectu praecise terminari non possunt. sed si tamen vis his duobus sermonibus certos fines imponere, - id est: terminis circumscribere hac ex parte linguam scriptam, quae spectat imprimis ad oculum, illinc sermonem cotidianum, qui se convertit omnium primum ad aurem, - tum necesse est a definitione notionis sententiae proficiscaris. vis autem sententiae definiri potest enuntiato, quod unito flumine adfectivo ductum sit et cuius significatio in se conclusa sit. quae definitio dicit quoque nullum enuntiatum adfectu plane absente animo cogitari posse. nam sine privatis utilitatibus et adpetitione - id est: sine necessitate animi cuiuscumque memorato enuntiato movendi - ne una quidem sententia esset edicta.

Quod attinet ad haec, sunt tamen, quae inter varia enuntiata intercedant, magnae differentiae. sermo litterarius, atque omnino sermo publicus in omnibus variis subgeneribus suis - scientificus, iuridicus, civilis ceterique his consimiles - continet in communicatione et explanatione et investigatione sua pro rata parte parum elementorum adfectivorum, sed ideo plurimum elementorum intellectualium. sermo cotidianus e contrario in omnibus subgeneribus suis continet plurimum adfectivi et personalis, multo minus elementorum intellectualium, id est: illorum elementorum, quae in meditato et artificioso composito et facili ad perspicendum argumento adparent. quae res est facilis ad intellegendum, si venit tibi in mentem eum, qui se ad publicum convertat, et saepissime ad latissimos hominum circulos, debere, ut eum recte intellegant, dare incomparabiliter maiorem operam, quam hanc ab homine petat sermo cotidianus, qui paene ad regulam cum una vel non nimis magno numero plus minusve bene notarum personarum habeatur, et quidem de rebus, quae rarissime supra proprie privatas utilitates et impetus efferantur. qua de causa etiam ibi, ubi in sermone litterario elementa adfectivae et personalis significationis adparent, eorum origo

semper ad genus dicendi cotidianum atque eius individualiter adfectivam proprietatem revocat.

Manifestum est scilicet circumscriptionem, quae ad numerum maiorem elementorum adfectivorum in sermone cotidiario, intellectualium e contrario in litterario revocet, ipsam per se non sufficere, eo magis, quod nullae sententiae unice intellectuales sint, aequae atque sint nullae unice adfectivae. Inveniuntur interim in sermone etiam multa alia elementa, quae nos adiuvent ad distinctionem sermonis litterarii a cotidiario adsequendam. quae elementa in ipsis exemplis, quae in Petronii *Satyricis* reperiuntur, perspiciemus.

**Sermo cotidianus in *Satyricis*.** Omnino sermonis cotidiani structurae - quod est eodem tempore una de eminentissimis ipsius notis - propria est inclinatio ad sententiae compositionem paratacticam, immo etiam ibi, ubi severiore in sermone litterario ordine hypotaxin invenis. quae inclinatio ad parataxin apud Petronium, ubicumque sermo cotidianus habet locum, adparet: c. 42,1,2 "excepit Seleucus [conviva Trimalchionis] fabulae partem et 'ego' inquit 'non cotidie labor. baliscus enim fullo est, aqua dentes habet, et cor meum cotidie liquescit.'" sin autem de vitiosa parataxis usurpatione agitur, eam imprimis in vulgaribus narrandi partibus invenies, hoc est: ibi, ubi locum habet sermo cotidianus inferiorum, ineruditorum ordinum socialium. ad hunc plebeium sententiae componendae modum typici sunt casus sequentes: c. 72,4 "de una die duas facere, nihil malo" - ita Habinnas lapidarius loquitur. vel: c. 57,6 "spero, sic moriar" - dicit Hermeros [conviva et collibertus Trimalchionis]. tum: c. 35,7 "'suadeo' inquit Trimalchio 'cenemus'", c. 74,15 "'suadeo' inquit [Agatho unguentarius] 'non patiaris genus tuum interire'", c. 58,2 "curabo, iam tibi Iovis iratus sit" - dicit Hermeros, c. 39,2,3 "'hoc vinum' inquit [Trimalchio] 'vos oportet suave faciatis. pisces natate oportet. rogo me putatis illa cena esse contentum...?'"

In illo c. 71,11 "velit nolit" est enuntiatio, qua Trimalchio utitur, sed quam etiam in Senecae saturae Menippeae *Apocolocyntosis* sermone vulgari invenies: c. 1,2 "velit nolit, necesse est illi omnia videre, quae in caelo aguntur." scimus propositiones condicionales in sermone cotidiario primas nec non firmissime stabilitas esse. sed in hoc *velit nolit* locum habet duplex condicionalis propositio, quae ut dicendi formula in sermone cotidiario porro haeruit.

Operae pretium est hic admonere Petronii *Satyrica* ceteroquin ostendere similitudines cum memorata Senecae satura Menippea: apud Petronium exempli causa c. 58,10 "qui te natum non putat", apud Senecam c. 3,2 "nemo enim unquam illum natum putavit." apud Petronium c. 42,3 "tam bonus Chrysanthus animam ebullit", tum etiam c. 62,10 "paene animam ebullivi", apud Senecam c. 4,2 "et ille [sc. Claudius] quidem animam ebullit." apud Petronium c. 44,3 "nam isti maiores maxillae semper Saturnalia agunt", apud Senecam c. 8,2 Saturnalicus princeps", tum etiam c. 12,2 "non semper Saturnalia erunt!", confer in lingua Croata: "nije svaki dan Božić!" apud Petronium c. 58,13 "at nunc mera mapalia", apud Senecam c. 9,1 "vos mera mapalia fecistis." equidem huiusmodi similitudines in sermone cotidiario vulgari *Satyricorum* cum satura Senecae Menippea re vera permultae sunt. Sententiae, ut "manus manum lavat" - hanc cum apud Petronium tum apud Senecam invenies (*sat.* c. 45,13: *apoc.* c. 9,6) - demonstrant genus illud enuntiandi in proverbiis, quod omnino sermonis plebei proprium esse dici potest.

nam proverbium in sermone plebeio eandem illas agit partes, quas in eruditorum sermone agit theoretica argumentatio.

Sed ut ad id revertar, unde digressus sum, hoc est: ad structuram verborum comprehensionum in partibus *Satyricorum* vulgaribus paratacticam. quibus in partibus textus inclinationem ad evitandam subordinationem clare patere iam dixi. sed atque id addendum est sermonem plebeium ibi vitare etiam condicionales propositiones, quae in consuetudinem sermonis cotidiani primae venerint atque in hoc sermone primae haeruerint. quae res cum modo dicendi minime obligato inter cenam plane congruit: c. 57,9 "tu beator es: bis prande, bis cena", c. 77,6 "assem habeas, assem valeas. habes, habebis", c. 70,2 "volueris, de vulva faciet piscem." atqui nonnumquam ratio condicionalis, quae intercedit inter sententias coordinatas, per anaphoram cum adscendenti tono dicendi ad effectum adducitur: c. 75,9 "bene emo, bene vendo", c. 44,3 "serva me, servabo te."

Sententiae adfectivae omnium generum immissionem in propositionem principalem vitant, nec non aequae in formulis obtestandi res se habent: c. 74,14 "ita genium meum propitium habeam, curabo domata sit Cassandra caligaria", c. 72,2 "sic vos felices videam, coniciamus nos in balneum." item, ut omnino in sermone cotidiario, ita hic quoque oratio recta praefertur: c. 61,9 "<scitis><sup>1</sup> autem, in angustiis amici apparent", c. 76,6 "sc<it>is<sup>2</sup>, magna navis magnam fortitudinem habet." quae recta oratio etiam sine certo verbo dicendi praefertur: c. 44,3 "aediles male eveniat, qui cum pistoribus colludunt 'serva me, servabo te."

**Sermo narrandi in *Satyricis*.** Sermo narrandi in *Satyricis* est, ut iam supra dixi, sermo communis vel cotidianus, atqui non plebeius, sed urbanus, hoc est: sermo cotidianus circulatorum culturalium societatis Romanae illius aetatis. qui sermo facilitate et simplicitate structurae propositionum excellit, sed haec sunt simul omnia, quibus ille a sermone litterario polito essentialius differt: c. 30,1-4 "nos iam ad triclinium perveneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat. et quod praecipue miratus sum, in postibus fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum: "C. POMPEIO TRIMALCHIONI, SEVIRO AVGVSTALI, CINNAMVS DISPENSATOR. sub eodem titulo et lucerna bilichnis de camera pendebat, et duae tabulae in utroque poste defixae, quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum: 'III. ET PRIDIE KALENDAS IANVARIAS C. NOSTER FORAS CENAT', altera lunae cursum stellarumque septem imagines pictas." hic enim primaria illa rigida parataxis iam non reperitur, sed propositiones relativae alterae post alteras sequuntur et inter se definiuntur et complentur. offerunt se quidem etiam interclusiones, sed tamen eae casu demum in tono narrandi formaliter designatae sunt.

Atque uti hoc in sermone praetensiones litterariae nullae sunt, item nulli sunt vulgarismi. videntur autem graecismi soli esse id, quod in hoc ab omni parte perlucido periodi componendi modo attentionem praecipuam commovere possit: c. 28,1-5 "longum erat singula excipere. itaque intravimus balneum, et sudore calfacti momento temporis ad frigidam eximus. iam Trimalchio unguento perfusum

<sup>1</sup> <scitis> supplevit Bücheler.

<sup>2</sup> sc<it>is Bücheler : scis codex Traguriensis.

tergebatur, non linteis, sed palliis ex lana mollissima factis. tres interim iatraliptae in conspectu eius Falernum potabant, et cum plurimum rixantes effunderent, Trimalchio hoc suum propin esse dicebat. hinc involutus coccina gausapa lacticae impositus est praecedentibus phaleratis cursoribus quattuor et chiramaxio, in quo deliciae eius vehebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior. cum ergo auferretur, ad caput eius cum minimis symphoniacus tibiis accessit et tamquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit."

At rem prorsus ita fieri necesse est, ut Encolpii quoque sermo urbanus ibi quoque utatur parataxi, ubi huic litterario in sermone Latino non esset locus: c. 52,10 "credo, dixerit non decere gravitatem eius tam humiles ineptias."

Sermonis cotidiani adfectivae et personales notas *Satyrice* nobis et in vulgaribus et in urbanis textus partibus testantur. quas inter notas primo loco elementa adfectiva, ut exclamations, adiurationes et obtestationes, imperativi, adfirmandi et negandi particulae, particulae interrogativae, formulae interrogandi mechanisatae, postremo sententiae adfectivae breves, elementaque adfectiva sentiis in intellectualibus commemoranda sunt. secundo loco collocutoris partium in manifestatione cogitationis propriae mentio facienda est; nam in eo est, ut ad auditoris personalitatem respectus habeatur atque ut apud auditorem directim auctoritate valere cupiatur. tertio loco commemoranda est sermonis cotidiani linea sensitiva animadversiva, quanto eius natura trivialis et parca.

**Sermonis cotidiani elementa adfectiva.** Nota nominativi exclamativa nonnumquam etiam praecedenti exclamazione firmata esse solet: c. 57,8 "ecce magister tuus, homo maior natus! placemus illi." - ita Hermeros loquitur. confirmatio adfectiva duplicatione quoque contingitur: c. 72,4 "'vero, vero' inquit Habinas 'de una die duas facere, nihil malo'", c. 25,1 "'ita, ita' inquit Quartilla [sacerdos Priapi] 'bene admonuisti'", c. 49,4 "'quid? quid?' inquit [Trimalchio] 'porcus hic non est exinteratus?'" , c. 37,3 "et modo modo quid fuit?" praesertim sententiae breves adfectivae adferendae sunt: c. 74,3 "longe a nobis [sc. absit]!", c. 62,5 "mihi anima in naso esse, stabam tamquam mortuus", c. 62,8 "qui mori timore nisi ego?" exclamations ad concretam realitatem directim pertinent: c. 44,2 "non mehercules hodie buccam panis invenire potui. et quomodo siccitas perseverat!", c. 44,8 "in curia autem quomodo singulos pilabat, nec schemas loquebatur sed directum", c. 44,10 "et quam benigne resalutare, nomina omnium reddere, tamquam unus de nobis." quae autem ad intellectualium sententiarum adfectivam confirmationem pertinent, varia genera rerum in maius auctarum seorsum indicanda sunt: c. 75,6 "suadeo bonum tuum concoquas, milva, et me non facias ringentem, amasiuncula! alioquin experieris cerebrum meum", c. 77,4 "viperae huius sessorium", c. 37,7 "est tamen malae linguae, pica pulvaris", c. 37,6 "sed haec lupatria providet omnia et ubi non putes", c. 44,4 "o si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni."

In *Satyrice* invenies etiam multos neologismos, qui adsiduam adfectivam huiusmodi enuntiationum renovationem nobis testantur: c. 107,15 "pharmace, responde!", - ubi hoc *pharmace* cum illo vetustiore Latino *venefice* comparari potest, - c. 75,9 "tu autem, sterteia, etiamnum ploras?", c. 75,6 "ita tibi videtur, fulcipedial!", c. 58,2 "quid faciat, crucis offla, corvorum cibaria!", *ibid.* "etiam tu rides, cepa cirrata?", c. 57,8 "tu lacticulosus, nec mu nec ma argutas, vasus fictilis,

immo lorus in aqua, lentior, non melior," c. 45,8 "magis illa matella digna fuit, quam taurus iactaret", c. 57,3 "bellum pomum, qui rideatur alios." in eandem sententiam interpretari potes etiam partem pro toto in c. 44,3 "nam isti maiores maxillae semper Saturnalia agunt" atque in c. 57,6 "viginti ventres pasco et canem."

Mediae fere inter hypostasizationem notionum abstractorum et concretam designationem enuntiationes sequentes inveniuntur: c. 132,9 "quid dicis' inquam 'omnium hominum deorumque pudor?'" , c. 58,3 "bene nos habemus, at isti nugae." Ciceronis *ad Att. VI 3,5* "merae nugae" et Petronii c. 45,13 "fugae merae" eiusdem huius typi eloquendi sunt.

Lato in usu pronominum fundamenta quoque debilitationis pronominum personalium posita sunt: c. 41,5 "damnavi ego stuporem meum et nihil amplius interrogavi." in hanc sententiam conferre illud quoque Ciceronis potes *ad Att. I 3,4* "nunc tu propera" cum Petronii c. 48,4 "sed narra tu mihi" - Trimalchio Agamemnonem adfatur - itemque Ciceronis *ad Att. I 13,4* "de quo tu ad me scripsisti" cum Petronii c. 77,1 - atque haec Trimalchio loquitur - "tu dominam tuam de rebus illis fecisti." ac postremo - ut elementum adfectivum magni momenti in sermone cotidiano - parenthesis (id est: interclusio) dicenda est: c. 63,6 hic audacter stricto gladio extra ostium procurrit, involuta sinistra manu curiose, et mulierem tamquam hoc loco - salvum sit quod tango - mediam traiecit. audimus gemitum, et - plane non mentiar - ipsas non vidimus", c. 77,1 "rogo, Habinna - puto interfuisti - 'tu dominam tuam de rebus illis fecisti'", c. 76,3 "ne multis vos morer, quinque naves aedificavi, oneravi vinum - et tunc erat contra aurum - misi Romam."

Sermonem litterarium - imprimis in arte oratoria et poesi - certa chiasmi (collocationem verborum in x litterae figura dico) genera usque ad efficacissimum stilisticum instrumentum expilicavisse constat. sermo cotidianus e contrario in usurpatione chiasmi valde cautus est. quam ob rem in propositionibus copulativis sermonis cotidiani hoc instrumentum stilisticum per exceptionem demum invenies: c. 63,8 "scilicet iam puerum strigae involaverunt et supposuerunt stramenticum vavatonem." verum altera ex parte prorsus secundum naturam plebei generis dicendi est asyndetum chiasticum in functione coniunctionis condicionalis inter propositiones coordinatas: c. 61,8 "fecit assem, semissem habui." contra hoc oppositiones chasticae singularium verborum, seu singularium verborum comprehensionum, etiam propter earum validum stilisticum effectum nequaquam secundum sermonis plebei naturam esse possunt, sed naturaliter per omnia bene in Encolpii sermonem urbanum inseruntur: c. 132,6 "itaque pensatis vicibus animosior verberum notas contexi, ne aut Eumolpus contumelia mea hilarior fieret, aut tristior Giton."

**Personalitatis collocutoris partes.** Collocutoris partes in sermone cotidiano et adpetitus collocutoris personalitatis directam movendae in sequentibus exemplis clare adparent: c. 129,6 "narabo tibi, adulescens, paralyisin cave!", c. 45,1 "'oro te' inquit Echion centonarius 'melius loquere!'" , c. 61,2 "oro te, sic felicem me videas, narra illud quod tibi tibi usu venit!", c. 63,9 "rogo vos, oportet credatis, sunt mulieres plusciae, et quod sursum est, deorsum faciunt", c. 90,3 "rogo' inquam 'quid tibi vis cum isto morbo?', c. 75,3 "non tenuit lacrimas Trimalchio et

'rogo' inquit 'Habinna, sic peculium tuum fruniscaris! si quid perperam feci, in faciem meam inspue', c. 67,1 "sed narra mihi, Gai, Fortunata quare non recumbit?", c. 39,3 "rogo, me putatis illa cena esse contentum, quam in theca repositorii videratis?", c. 95,2 "vos, mehercules, ne mercedem cellae daretis, fugere nocte in publicum voluistis", c. 47,2 "'ignoscite mihi' inquit 'amici, multis iam diebus venter mihi non respondit.'"

Partium collocutoris in sermone cotidiano respectu illa ad captationem benevolentiae directa sermonis elementa magni momenti sunt. inter haec primum dativus ethicus commemorandus est, deinde etiam praecipue dilata pronominum possessivorum usurpatione: c. 50,7 "ego malo mihi vitrea, certe non olunt", c. 66,2 "habuimus tamen in primo porcum botulo coronatum et gizeria optime facta et certe betam et panem autopyrum de suo sibi, quem ego malo quam candidum", c. 62,4 "homo meus coepit ad stelas facere", c. 62,13 "ut vero domum veni, iacebat miles meus in lecto tamquam bovis, et collum illius medicus curabat", c. 63,7 "baro autem noster introversus se proiecit ad lectum."

Inter cetera elementa, quae ad captandam benevolentiam convertuntur, utique deminutivorum mentio facienda est. quae quidem originem suam a sermone familiari trahunt, sed una cum continua diffusionem in aliis quoque sermonis quotidiani generibus perdunt deminutiva primariam deminutivam vim suam: c. 57,6 "glebulas emi, lamellulas paravi", c. 58,8 "ad summam, si quid vis, ego et tu sponsiunculam." contra haec re vera frequentia exempla commemorari possunt etiam deminutiva, quae primariam deminutivam significationem suam retinuerunt. c. 76,1 "ceterum, quemadmodum di volunt, dominus in domo factus sum, et ecce cepi ipsimi cerebellum."

Partes collocutoris in sermone cotidiano in deminutionibus quoque et euphemismis et his propinquis verborum ac sententiarum conformationibus adparent: c. 45,7 "iam Manios aliquot habet et mulierem essedariam et dispensatorem Glyconis, qui deprehensus est, cum dominam suam delectaretur", c. 66,2 "et vires facit, et cum mea re causa facio, non ploro", c. 43,8 "non mehercules puto in domo canem reliquisse [sc. infututam]", c. 38,9 "est tamen subalapa et non vult sibi male", c. 35,1 "laudationem ferculum est insecutum plane non pro expectatione magnum", c. 66,1 "nam tam bonae memoriae sum, ut frequenter nomen meum obliviscar".

**Linea sermonis quotidiani sensitiva.** Sermonis quotidiani lineam sensitive animadversivam testantur in *Satyricis* exempla sequentia: c. 45,10 "sed subolfatio quia nobis epulum daturus est Mammea, binos denarios mihi et meis", c. 42,2 "sic vita truditur". c. 89,1 "sed video te totum in illa haerere tabula, quae Troiae halosin ostendit." verbum haerendi hac in postrema sententia adfertur in notione illius se occupatum habendi, porro: c. 75,10 "tam magnus ex Asia veni, quam hic candelabrus est", c. 44,14 "sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret", c. 57,10 "et habebam in domo, qui mihi pedem opponerent hac illac. tamen - genio illius gratias - enatavi."

Partem magni momenti sermonis quotidiani sensitivae proprietatis metaphorae efficiunt, at inter varia comparandi genera sermoni plebeio intima identificatio est: c. 34,7 "vinum vita est", c. 42,2 "sed antiquus amor cancer est." minus vulgares sunt comparationes cum alio quodam animante sive re certam

quandam functionem respicientes: c. 42,4 "utres inflati ambulamus." verum hoc ad illum quoque typum comparandi per oppositionem negativam et positivam attinet: c. 38,15 "phantasia, non homo", c. 43,3 "durae buccae fuit, linguosus, discordia, non homo", c. 44,6 "memini Safinium: tunc habitabat ad arcum veterem, me puero, piper, non homo", c. 58,13 "bella res et iste, qui te haec docet, mufrius, non magister", c. 74,13 "at inflat se tamquam rana, et in sinum suum non spuit, codex, non mulier."

Animus autem sermonis cotidiani ab abstracto enuntiandi modo alienus etiam in infinitivis substantivi loco adhibitis adparet: c. 53,3 "meum intellegere nulla pecunia vendo."

**Sermonis cotidiani proprium triviale atque eius parcitas.** Sermonis cotidiani, et praecipue sermonis cotidiani inferiorum societatis ordinum, est proprium quam maxime evitare omnes circumscriptiones, quae sermone in litterario constant in postulatione, ut inveniuntur clara et recta verba, id est vocabula, quae in omnia rerum conditioni respondeant ratione rei, de qua sermo sit, habita. in hanc sententiam verbum faciendi, quod Latino in sermone familiari antiquitus lata usurpatione erat, in sermone quoque cotidiario commodissimum invenit solum. cuius rei frequentes confirmationes etiam apud Petronium naturaliter inveniuntur. in enuntiato c. 38,12 "sed liberti scelerati, qui omnia ad se fecerunt" illa ad se faciendi verba in significatione rapiendi, id est: in potestatem suam redigendi, dicta sunt. in illo c. 47,10 "'quem' inquit [Trimalchio] 'ex eis vultis in cenam statim fieri?'" faciendi verbum a sermone coquino originem ducere veri simillime est.

Verba faciendi et habendi in coniunctione cum certis obiectis in accusativo saepe sunt mutatio periphrastica pro simplicibus formis verbalibus: c. 96,7 "contubernalis mea mihi fastum facit." similem autem functionem verbum faciendi etiam cum adverbio coniunctum praestat. ita exempli causa apud Petronium legis in illo c. 71,10 "facias et totum populum sibi suaviter facientem", - confer *corpus inscriptionum Latinarum* IV 722 "FACIATIS VOBIS SVAVITER, EGO CANTO" (inscriptio picta Pompeis), - quamquam saepius sepulcrorum in inscriptionibus verbis sibi *bene* faciendi pro illis sibi *suaviter* faciendi habentibus locum, exempli causa in illo *carminum Latinorum epigraphicorum* 76,5 "valete et bene facite vo<bis dum licet>."

Atqui longe maxime, in sermone quoque eruditorum circulorum cotidiario, verbi auxiliaris essendi cum adverbio usurpatione dilata est, atque etiam ibi, ubi ceteroquin facile simplex specializata forma verbalis locum habere posset: c. 59,1<sup>3</sup> "suaviter sit potius!", c. 54,3 "pessime mihi erat, ne his precibus per <rid>iculum<sup>3</sup> aliquid catastropha quaeretur." quo in postremo exemplo illud *pessime erat* in significatione atque in syntaxi vim nescio cuius simplicis verbi timendi habere liquet. eundem ad modum essendi verbum etiam eundi et veniendi verba reprimit: c. 42,2 "fui enim hodie in funus."

Iuxta has manifestationes usurpationis verborum trivialis sermo cotidianus communi quoque parcitate in enuntiatione denotatur. quae parcitas saepissime in detractionibus manifesta est: c.26,9 "nescitis hodie apud quem fiat [sc. cena]?", c.

<sup>3</sup> per ridiculum Keller, *Rh. M.* 16, 1861, 539 : periculo *codex Traguriensis*.

70,13 "si prasinus proximis circensibus primam palmam [sc. accipiat]", c. 37,4 "nunc, nec quid nec quare, in caelum abiit et Trimalchionis topanta est", - ubi illud *nec quid nec quare* significat fere Croatum *Bog zna kako i zašto*, - c. 45,6 "et habet unde [sc. sumat]." rarissime interim definitiones praedicativae omittuntur. at si etiam omittuntur, tum id fit consiliis euphemisticis ductum. confer c. 130,6 "tamquam maior fieri possit, quae abstulit mihi, per quod etiam te habere potui", ubi iuxta verbum habendi accusativus substantivi fututricis cogitatur.

Mentionem denique usurpationis quoque latissimae verbi incipiendi ad perfectum periphrasticum cum significatione incohativa efficiendum faciam, rem, quae aequaliter et in vulgaribus et in urbanis Petronii textus partibus praestatur: c. 27,1 "longe accersere fabulas coepi", c. 40,2 "et ecce canes Laconici etiam circa mensam discurrere coeperunt", c. 61,6 "amare coepi uxorem Terentii coponis", c. 62,4 "homo meus coepit ad stelas facere", c. 88,1 "erectus his sermonibus consulere prudentiorem coepi..."

Si distributionem quandam intra sermonem cotidianum in *Satyricis* facere velimus, tum sermonem cotidianum Encolpii eiusque sociorum, aequae ac sermonem ceterorum numero erudito adscriptorum, sermoni urbano, linguam autem Trimalchionis circuli, una cum lingua plebeis societatis ordinibus adscriptorum, sermoni plebeio adnumeratis omnibus sermonis communis proprietatibus in universum inserere possumus. cum exempli causa Trimalchionis cenae fabula in Campania agatur, ibi etiam Campanae sermonis proprietates locum habent, et cum praeterea etiam de Graeca quadam urbe agatur, hunc sermonem permultas voces Graecas continere ad intellegendum facile est; quamquam Graecas voces communem cum latinitatis vulgaris tum omnino sermonis cotidiani eius temporis notam praecipuam esse constat.

Graeca vocabula, ut demonstravi, in politis quoque sermonis cotidiani partibus normaliter comparent. atqui rudia bilinguismi exempla modo in *Satyricorum* vulgaribus partibus invenies: c. 67,3 "atqui respondit Habinnas 'nisi illa discumbit, ego me apoculo'", ubi verbum apoculandi ab illo Graeco ἀποκᾶν veri simillime ductum est, licet possibilitas hybridicae verbi fictionis non sit excludenda: ἄπῶ + oculus, c. 69,2 "tu autem, Scintilla, noli zelotypa esse!", c. 37,6 "ipse nescit, quid habet, adeo saplutus est." verum quidem in illo c. 67,10 "quid" inquit Habinnas 'excatarissasti me!' re vera hybridica Latinograeca forma invenitur: ex + κατὰπίσω.

Vulgaribus in *Satyricorum* partibus Petronii artificii conveniens iudicium nec non eximie excultus moderationis sensus praecipue adparet. sermonis structura non tam personis loquentibus, quam rerum condicionibus, in quibus loquuntur, differtur. ut plane naturaliter in ore procuratoris insulae Bargatae sonat prope Catullianum illud c. 96,6 "o poetarum disertissime", item naturaliter, in prorsus diversa rerum condicione, ex Eumolpi ore adficietur illo vulgari c. 92,11 "tanto magis expedit inguina quam ingenia fricare." vulgarismi in adfectivis demum verborum contumeliis condensantur, confer exempli causa c. 57,1 *sqq.*, 74,13 *sq.*, sed ibi, ubi ineruditus se ad eruditum convertit, plebeius dicendi modus omni ex parte diversam, et laetam et comicam notam, accipit: c. 46,8 "litterae thesaurum est, et artificium numquam moritur", c. 48,4 "et ne me putes studia fastiditum, II bibliothecas habeo, unam Graecam, alteram Latinam." Trimalchionis autem

praecepta ad Habinnam de eo, quale sibi monumentum aedificari velit, omnes epigraphici stili notas praestat: c. 71,6-12 "C. POMPEIVS TRIMALCHIO HIC REQUIESCIT. HVIC SEVIRATVS ABSENTI DECRETVS EST. CVM POSSET IN OMNIBVS DECVRIIS ROMAE ESSE, TAMEN NOLVIT. PIVS, FORTIS, FIDELIS, EX PARVO CREVIT. SESTERTIVM RELIQVIT TRECENTIES, NEC VMQVAM PHILOSOPHV AVDIVIT. VALE. ET TV." quae confer cum *carminibus Latinis epigraphicis* 76. 132. 189. 1259. 1317. 2217.

Verum quidem de generibus sermonum in Petronii *Satyricis* iam satis dixisse mihi videor. restat, ut de ridicula Petronii imitatione atque eius epico experimento adcuratius disseram.

**II. DE PETRONII RIDICULA IMITATIONE.** *Satyrica* ut *parodia*. Saturae Menippeae εἶδος stilum sublimem parodiandum - παρατραγωδεῖν - iam forma traditionalis erat. *parodia* in *Satyricis* persaepe adparet, sed propria scriptoris sententia ad modum inexpectatum recedit. Eumolpi explanatio de quaestione, quomodo historia poetis tractanda sit, aperte est polemica cum Lucano, amplum autem carmen epicum, quod statim deinde, ut magis conspicue rationem suam illustret, recitat, manifesto critica est Lucani epico carmini quod de *Pharsalia* inscribitur infesta. at tamen hoc est carmen programmaticum eiusdem illius poetae, qui tam saepe, ut se a lapidum ictibus - quo praemio publicum remunerari versus eius solebat - conservaret, fuga salutem petere cogebatur ac simul eius, cuius artem poeticam Encolpium primam personam gestans haud in magno honore habebat. critica societatis Romanae contemporaneae adparet in turgide et adfectate stilizatis versibus, quos recitat dives novicius Trimalchio - homo, quem humili loco natum fortuna extulit. hoc est, si Trimalchionis verba spectas, carmen Publilii Syri poetae mimici. at tamen id ad hunc locum ab ipso scriptore nostro fictum esse patet. eloquentiae magister Agamemnon serium et ambitiose compositum institutionis oratoriae programma schedio Lucilianae humilitatis describit. sed contra hoc eius carmen sublimi artificiosa stilisatione sua cum rudi et impolito incliti satirici stilo manifesto non congruit.

Jean-Nicolas-Marie de Guerle<sup>4</sup> de singularibus personis historicis parodiandis scribit. in Trimalchione Claudium latere (nonnulli dicunt - verba Taciti adherentes - Neronem, vel: Tigellinum), a Fortunata Agrippinae partes agi, ab Eumolpo Lucani (?), ab Agamemnone Senecae (!). quae ad actorem Encolpium spectant, Franciscus Bücheler<sup>5</sup> eum, ita ceterum, ut multi quoque alii iudices litterarii, ipsum scriptorem adgnoscat. constat quidem *Satyrica* cogitationi nostrae copiam materiae ad huius modi hisque similes comparationes praebere atque ideo te quorundam scriptorum studia certae similitudinis in una quaque Petronii persona utique etiam cum nonnulla nobis nota persona historica inveniendae excusare posse. at tamen ego hic tales quaestiones ommittam.

<sup>4</sup> *Recherches sceptiques sur le Satyricon et son auteur* in "Oeuvres complètes de Pétrone avec la traduction française" Classiques Garnier, Paris. 1876., p. XVIII sqq.

<sup>5</sup> Petronii ed. maior, p. 207.

Iam Bücheler<sup>6</sup> ad compositionem fabulae in *Satyricis* Encolpii cum Priapo usus maximum habere momentum respexit. postea Elimarus Klebs<sup>7</sup> prosperis ex argumentis est consecutus, ut demonstraret iram Priapi esse illum factorem, qui ceteroquin non firme coniunctas narrandi partes conglutinaret. Alfredus Ernout<sup>8</sup> et Martinus Kuzmić<sup>9</sup> huiusmodi opinioni adversantur. quorum interpellatio est: quomodo hinc exempli causa Eumolpi casus Pergamenus, matrona Ephesia, immo etiam cena Trimalchionis explanari possint? verum tamen: Priapum constanter actorem nostrum persequi vel luce clarius per omnia *Satyricorum* servata fragmenta patet: confer c. 16,3-21. 104,1. 106,3. 129,1,4-8. 130,1-6. 133,3. 134,1.2. 139,2. 140,11. nescimus quidem, quem ad modum et qua occasione primam personam gestans huiusmodi numinis iram sibi contraxerit, sed tamen talem, qualis iam sit, eam facillime sibi contrahere potuisse nobis liquet. verum altera ex parte certum est hanc iram ad actionem fabulae huius Romanensis habere eandem eiusmodi significationem ac Posidonis iram ad actionem in Homeri *Odyssea*: "non solum me numen et inplacabile fatum / persequitur... / ...regnum Neptuni pavit Ulixes. / me quoque per terras, per cani Nereos aequor / Hellespontiaci sequitur gravis ira Priapi" (c. 139,2 v. 1-8).

*Satyricorum* enim margo Encolpii peregrinatione typi Odyssei - errore Ulixeo - fingitur. Encolpius similiter atque Odysseus casus suos dicit. nescimus quidem, cui et quo loco iste Odysseus redivivus de casibus suis narret. sed tamen videmus: Encolpius Crotone Polyaeos vocatur, ergo: eodem nomine, quo Sirenes Odysseum advocant - πολύαινος *Hom. Od. XII 184* - et sub eodem nomine fortunae se committit cum matrona formosissima Circa: "nec sine causa Polyaeon Circe amat: semper inter haec nomina magna fax surgit" (c. 127,7). num quid clarius esse potest? eo magis, quod cum ea congregiendi in eandem illam miseriam incidit - vires veneriae eum destituunt - de qua Odysseo Circa timenda erat (X 301. 341). Giton sub lecto latens, sicut Odysseus sub ariete, scrutantes elusit. quo loco reminiscencia illius de Odysseo et Polyphemo narrationis Homericæ expressis verbis confirmata est. similiter atque Odysseus Encolpius naufragium expertus est. quin etiam ἀναγνωρισμός locum habet - aperta reminiscencia illius loci, ubi fidelis Odyssei nutrix Euriclia post vicesimum annum cicatrice inventa dominum agnovit (*XIX 392.393*), tantum quod Lichas non e cicatrice Encolpium agnoscit, sed ex inguinibus.

Dubitari igitur nequitur, quin Petronii *Satyrica* Homeri carminis epici parodia sui generis sit. indicationes de parodia *Aeneidis* - Iuno irata Aeneam persequitur - vel tragoediae habent quidem sua ipsius fundamenta, sed tamen nulla huiusmodi parodiarum tam praevalens est. Eduardus Norden opinatur *Satyrica* re vera parodiam esse verae historiae scribendae. atque id recte sapit. quam ad rem revertar eamque explicabo postea.

<sup>6</sup> *Sittenzüge der römischen Kaiserzeit*, N. schwiz. Museum III (1863) p. 29.

<sup>7</sup> *Zur Composition von Petronius' Saturae*, Philologus N. F. (1889) p. 623-635.

<sup>8</sup> *Pétrone: Le Satiricon*, Texte établi et traduit par Alfred Ernout, Société d'édition "Les belles Lettres", Paris, 1976, p. XIV sq.

<sup>9</sup> *Petronijeve Satire*, Tisak zaklade tiskare Narodnih novina u Zagrebu, Zagreb, 1932., p. 128.

Franciscus Bücheler - gravissimus, opinor, criticus commentator Petronii textus - adfert quattuor fontes, qui ad genus *Satyrlicorum* litterarium intellegendum maximum momentum faciunt: nova comoedia Attica et peripateticorum illa de characteribus scripta Graeca ex parte, hinc - Romana ex parte - Varronis *Menippeae* et omnino satira Romana. qui praecipue indicat de similitudine inter *cenam Nasidieni* Horatii (*sat. II 8*) et Petronii *cenam Trimalchionis* (*c. 26,7-78*). non est dubium, quin Petronius ad *cenam Trimalchionis* in Horatii descriptione cenae apud divitem et ineruditum novicium Nasidienum Rufum excellens specimen habuerit. atqui hoc thema apud Petronium incomparabiliter latius et adcuratius est tractatum. Petronii est cenae descriptio, ut vivacitate describendi, ita etiam lingua, multo magis colorata quam dicta Horatii descriptio. facultates artificiosae Petronii calami plenam elationem consequuntur, et nullam credo aliam ex antiquitate descriptionem universalitate incepti cum hac Petronii descriptione comparari posse. figura Trimalchionis omnibus ex partibus et in omnes possibiles partes depicta est: eius vita ante acta, ingens eius potentia proprietaria, rationes eius et viae rei familiaris curandae, ratio quae ei intercedit cum uxore, cum servis, cum amicis, innumerabiles eius parvae et magnae virtutes et vitia, omnia haec nobis hic propemodum eodem tempore in conspectu ponuntur. nec non ad eundem modum ceterorum quoque conviviarum figurae clare adumbratae sunt. atque haec quidem hactenus. quod autem ad ipsam parodiam pertinet, ad id, sicut iam dixi, revertar posterius.

**Oppositio quae inter sermonem cotidianum et poeticum intercedit.** "Gerade das Eigentümliche der Sprache, daß sie sich bloß um sich selbst bekümmert, weiß keiner." id, quod hoc in articulo nostra multum interest, est interpretatio rationis, quae intercedit in *Satyrlicis* inter sermonem cotidianum et litterarium. verum non cuiusdam abstractae rationis, quam deinde statuturus sum ita, ut distinguam illud, quod in hoc textu sermonis litterarii est, ab illo, quod est sermonis cotidiani, tum etiam illud, quod in hoc illius est et in illo huius. propositum interpretationis meae erit e contrario illa ratio, quam ipsum hoc opus secum colloquendo edicit. nam hoc colloquium simul est colloquium cum traditione.

Verum quidem, cum huiusmodi interpretationem suscipiam, inevitabiliter in eo in rem praeciudicis millenariis onerata. ideo primum lectori benevolo in memoriam reduxi illam Friderici von Hardenberg poetae sententiam, quae feliciter admonet nobis in ipso sermone et tantummodo in sermone praecidere illud, quod alioquin nusquam in nos incidat. hoc enim nos ipsi sumus - non tantum illud, quod cogitamus et de nobis scimus - illud quo efficitur universum nostrum. nam sermo non est quoddam omnium socialium processuum actionumque inventum subiectum anonymum, neque est totum quoddam actionum se ad adspectum observatorium nostrum offerens. verum autem, quod commemorata poetae sententia pronuntiat in eo est, ut nos vere facillime erroribus succumbamus ibi, ubi iam dudum omnia clare cogitando pertractata esse nobis persuasissimum est. Sermo? at quis omnino est, quin linguae peritus sit? alii artis vitreae sunt periti, alii artis medicinae, sed linguae, linguae sane omnes periti sunt. syllogismus est simplex. - omnes loquuntur, ergo: omnes in lingua dominantur. cautio, ad quam nobis ducem esse commemoratam poetae sententiam dixi, non significat nos

statim et iam ante omnia omnibus praeiudiciis nostris hac e rerum scientia renuntiare debere. ne minime quidem, sed haec tantummodo admonet dicta praeiudicia sine respectu eius, quod quaeramus et a quo interpretatio nostra profecta sit, pertinaciter et quanti vis non esse nobis retinenda. nam ut sine praeopinionibus et praescientiis nostris ad Petronii textum intellegendum nos descendere non posse patet, item, nisi ad opiniones et scientias nostras mutandas, si res postulatura sit, parati simus, adparet nos adire periculum opinionis textus, cuius nostra hic re vera intersit, non audiendae.

Consilium meum non est hic vel tantummodo conari genera orationis, quae in *Satyricis* locum habeant, separare et enumerare. eo magis, quia hoc, etiam si vellem facere, non poteram. quando quidem non modo, ut ita dicam, unaquaqueque persona loquitur alia lingua, sed etiam eadem personae diversis in rerum condicionibus diversa loquuntur lingua. altera ex parte, iuxta urbanismos in sermonibus libertorum item multi numero vulgarismi in urbanis textus partibus inveniuntur. sed, licet haec ita sint, facile potes animadvertere in *Satyricis* quoddammodo duas tamen diversas linguas polarizari: sermonem communem - cui universus cotidianus sermo adnumerari possit, ab sermone Latino elegantissimo usque ad infimum et vulgarissimum illum sermonem plebeium humillimae faecis populi - et sermonem litterarium. id, quod hic exponere et enodare cupio, sunt quaestiones, quae intercedat in Petronii opere his duobus sermonibus inter se ratio, quid sit eis commune nec non qua re differant inter sese, ac postremo - utrum re vera hic de duobus diversis agatur sermonibus, an tantummodo in speciem.

Sermo communis et poeticus - de sermone litterario etiam in latissima huius vocis significatione adcuratius disseretur postea - apertissime alter alteri opponuntur in enuntiato: "saepius poetice quam humane locutus es" (c. 90,3). hoc enim in enuntiato, quo Encolpius primam personam gestans Eumolpum poetam lapidum ictibus profugere coactum adfatur, edicitur oppositio, quae intercedit inter poeticum & humanum: sermo poeticus non est sermo humanus atque ideo poeta, dum loquitur poetice, non loquitur lingua humana. attamen ad animadvertendum facile est hic poetae aliquid deesse, vel potius aliquid nimium esse. est enim poeta eodem tempore homo et hic homo, dum sicut homo loquitur, loquitur humane. commemoratis Encolpii verbis de sermone quidem etiam haec dicuntur: non est quisque sermo humanus, sed est quoque sermo - inhumanus. quod elegantissime adparuit - multas translationes Petronii *Satyricorum* perlegi, immo etiam ipse versionem propriam publicavi - in Alfredi Ernout versione huius sententiae Francogallica: "tu as plus souvent employé la langue des dieux que celle des hommes" (op. laud.). atqui etsi iste Musarum sermo (*la langue des dieux*) hominibus normalibus alienus est, tamen sunt inter eos singuli, qui sive culpa fortunae seu propria sese a ceteris hominibus separaverint, et quidem ita, ut loquantur poetice, ergo: inhumane.

Hic autem nobis quaestio imponitur, quae ratio intercedat his exceptionibus et generis humani ceteris membris alteris cum alteris. nam in eo est, ut, quamvis utriusque eiusdem linguae communitatis participes esse videri possint, - etenim poetae, dum loquuntur humane, loquuntur lingua, quae iis communis est cum sociis castrorum contra positorum, - tamen sermones eorum eo tempore, cum poetae poetice loquantur, antithetice opponantur.

**De rationibus quae inter homines communes et operarios spirituales intercedunt.** Cum primum Encolpius in pinacotheca tabulas considerans Eumolpum poetam offendit, illico ex habitu et cultu conclusit eum manifesto esse ex illa nota litteratorum, quos odisse divites soleant (c. 83). poetam amor ingenii denotat, sed hic amor neminem umquam divitem fecit. quin etiam bonae mentis soror est paupertas (c. 84,4). verum contra has exceptiones, quarum amor erga litteras et virtutes spirituales proprius est, non tantum commemoratos divites, sed etiam omnes ceteros homines normales imprimis amor pecuniae denotat. atque ideo poetae propter ipsam morum differentiam omnibus ceteris humani generis membris in odio sunt. nihil enim volunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenere cupiant. itaque pecuniae cupiditatem et artes ingenuas duas inter se inimicas esse adpetitiones adparet. pecuniae cupiditas inimica est productionibus spiritualibus, productiones vero spirituales quaestui pecuniae inimicae sunt.

Societate in contemporanea, in qua divitiae criterium principale ad omnia cetera pretia aestimanda praebent, facile est intellectu in rationibus, quae hominibus alteris cum alteris intercedant, solam pecuniam regnare (c. 14,2 v. 1). quam ob rem nihil mirum est, si in talibus rationibus socialibus ille, qui per argentum aes videt, - nummularium dico (c. 56,4) - in maximo apud homines honore est. quae sit graduatio pretiorum contemporanea, pulchre illustrat ille *Satyricorum* locus (c. 58,7,8), ubi Hermeros Gitoni convicia ingerit: "non didici geometrias, critica et alogias menias, sed lapidarias litteras scio, partes centum dico ad aes, ad pondus, ad nummum, ad summam, si quid vis, ego et tu sponsiunculam: exi, defero lamnam. iam scies patrem tuum mercedes perdidisse, quamvis et rhetoricam scis."

Eiusmodi igitur doctrinae, ut geometria, critica, rhetorica, nomine ineptiarum et merarum nugarum denotantur, quia hae activitates spirituales criteria divitiarum opposita sustinere non possunt. potentia autem divitiarum ut summae auctoritatis in rationibus socialibus est tanta, ut iam modestissimi inter philosophos - "ipsi qui Cynica traducunt tempora pera" (c. 14,2. v. 3,4) - non numquam nummis vendere verba soleant. nec non in ita structa societate consuetudo libidinibus indulgendi facile locum suum nancta est, quia - his rebus ita se habentibus "magis expedit inguina quam ingenia fricare" (c. 92).

Verum quaestionis nostrae de oppositione inter humanum et poeticum intellegendae multum interest hanc oppositionem non inde a prima hominum memoria valuisse, sed fuisse quondam tempus, cum poetica lingua esset vere humana in propria significatione huius vocis (c. 2. 88). ad hunc modum oppositio inter poeticum et humanum novam quandam oppositionem aperit - oppositionem, quae inter productionem artificiosam contemporaneam et illam praeteritam intercedit.

**De oppositione quae inter productionem spiritualem contemporaneam et praeteritam intercedit.** Priscis enim temporibus virtute τέλος in se ipsa hebente ("cum adhuc nuda virtus placeret" c. 88,2) tantum aberat, ut artes ingenuae inhumanae essent, ut etiam longe humanissimae putarentur. tum homines vitam non debebant secundum illud vitae praeceptum *carpe diem!* (*Hor. carm. carm. I 11,8*), vel Croaticè dicam: *uzmi od života sve što ti pruža!*, sed artibus ingenuis cum maxime vigentibus summum "certamen inter

homines erat, ne quid profuturum saeculis diu lateret". artificiosa productio illis temporibus ad iustam magnitudinem perveniebat e vita et ad hunc modum realis et humani historici mundi ἐνέθρητα erat.

Quae autem ad contemporaneam artificiosam productionem pertinent, hanc designat abyssus, qui inter linguam et realitatem apertus est. ideo lingua contemporaneae artificiosae productionis neque intellectus est realitatis neque consensus de mundo sed sane - inintellectus, qui est dissensionum origo. etenim haec lingua, cum vita reali ac propria contemporaneitate alienata sit, in essentia sua tantummodo est lingua in speciem, communi populo inintellegibilis et aliena.

Ita horizon quaestionis nostrae nunc nova quaestione dilatatur: quibus de causis res ita se habent? quam ipsam quaestionem ponendo Petronius in *Satyricis* quaerebat de veritate sermonis productionis artificiosae contemporaneae ita, ut veritatem sermonis propriae hereditatis litterariae in temptationem induceret. haec autem veritas parodia temptatur, sed ad prorsus novum quendam modum. ridicula enim imitatio Homeri *Odysseae*, quam vidimus in fundamentis *Satyricorum* reperiri, est eodem tempore temptatio quoque omnium traditione consecratorum litterariorum generum.

**III. DE TEMPTATIONE HEREDITATIS SPIRITUALIS.** De intellectu. Intellectus est mensuratio ad rem, quae in adpetitione congruentiae cum significatione rei obiectae adparet. In omnibus autem intellegendi formis necesse est in adplicatione quadam verseris, id est: in adsensione alicui rei, atque haec adplicatio eodem tempore semper est etiam usus: cum aliqua re ad quoddam casum concretum utimur, tum intellectum generalem in re singulari adesse patet. cum autem in omnibus formis intellegendi inevitabiliter in usu versemur, unaquaque interpretatio necesse se quoque ut actionem ostendit et se ut huiusmodi actionem novit. quacum re convenienter ad poetam oratio pulchra hereditatis litterariae non est pulchra solum ideo, quia pulchre stilizata est, sed praecipue ideo, quia pulchrum est illud, quod in eo dictum est: quia in traditione poetica exempli gratia non miraris modo vim artificiosam, phantasiam, enuntiationem arte factam, sed etiam veritatem, quae ex illa loquitur.

Ipsae autem poeta est iste, qui exemplari ut exemplo valere det. qui poeta his rebus ita se habentibus seorsum quadam in positione neutrali permanere nequit, verum iam eo ipso, quod elegit, se esse adligatum sentit. sui autem ipsius adligatio ad quoddam exemplum est adplicatio, quae semper characterem sequendi habet. qua de causa poeta numquam alicuius rei alienae et longe remotae interpretator esse potest, verum quidem ille est necesse historice activus particeps in insequenti exaedificatione illius ingentis aedificii, quod traditionem vocitamus: in unoquoque actu poetico activa et historica conscientia adgnoscutur.

De temptatione traditionis litterariae. Petronium hereditatem parodia temptando ad ipsas huius hereditatis radices - ad Homeri eppoeam - manum porrigere iam ostendi. Item vidimus Petronium, prorsus convenienter cum satirae Menippeae characterem parodiaco, in certamen epicum (ἀγών) cum Lucano ineuntem, et quidem ore Eumolpi poetae, qui ut artifex haud magno honore adficitur. attamen Petronius ipso eius ore certat cum Vergilio - confer *sat. c. 89*,

ubi Eumolpus Troiae halosin in tabula pictam carmine explanat cum *Verg. Aen. II 13 sqq.* - ineundo eodem tempore in certamen epicum cum Nerone, confer *Tac. ann. XV 39*, tum etiam *Suet. Nero c. 38,2. Iuv. sat. VIII 221*. quod Eumolpi carmen epicum re vera est ἐπὶ ἄλλων: inspiratio fundatur observatione operis artis figurativae, cuius argumentum a poeta in convenientia cum illis apud poetas Alexandrinos late usitatis artis picturae descriptionibus enarratur, quam in sententiam in litteratura Romana *Cat. carm. 64*, - Pelei et Thetidis epithalamium - conferre potes. hoc in Catulli carmine digressio de Ariadna, quae amplius dimidiam partem epyllii complectitur, est tantummodo descriptio simulacri picti in tappeto, quod inter dona nuptialia inveniebatur. tabulae pictae in *Satyricis* prosa quoque describuntur: *c. 29,1-9. 83,1-6*. mulieres formosae prosa, *c. 126,13-18*, et versibus, *126,13 v. 1-6*, describuntur. tum etiam confer artem magicam, quae prosa, *c. 134,3-11*, et versibus, *c. 134,12 v. 1-10*, describitur, pauperem casulam et supellectilem tenuissimam, quae prosa versibusque in *c. 135,3-136,3* describuntur, pratum, *c. 1127,9*, lucum, *c. 131,8*, quae versibus describuntur, contra haec procellam terribilem, quae in *c. 114,1-13* prosa describitur.

In *Satyricis* quoque parodia exercitationum - in scholis quae tum erant rhetoricis - declamatoriarum adparet. Praeter exercitationes stilisticas in thematis communibus tum in versibus, *c. 14,2. 80,9. 82,5. 137,9. fragm. XXV-XXX*, tum in prosa, *c. 1,2-2,9. 115,16-19*, in Petronii opere locum habet etiam genus litterarium maximo opere personale - epistula: confer illam in *c. 129,4-9* Circae ad Encolpium missam epistolam aequae atque illam in *c. 130,1-6*, ubi Encolpius Circae rescribit.

Cum Agamemnon rhetor Encolpio declamationum ineptias reprehendente, quae via ad eloquentiam ferat, versibus exponit, tum ab eo hoc extemporale schedium Lucilianae humilitatis adpellatur (*c. 4,5 v. 1-22*). constat autem Lucilium quoque ipsum ita satiras suas nominavisse: "qui schediūm fa<ciām tantūm non cārmina vēra>" (*Lucil. fragm. v. 1296 Krenkel*); cf. *Apul. de deo Socratis prol. 104*: "qui me voluistis dicere ex tempore, accipite rudimentum, post experimentum. quippe prout mea opinio est, bono periculo periculum faciam, postquam re probata meditata sum dicturus incogitata. neque enim metuo ne in frivolis disciplinam, qui in gravioribus placui. sed ut me omnifariam noveritis, etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio et incondito experimini, an idem sim repentinus, qui praeparatus."

Illico interea ante oculos positum est commemoratum Agamemnonis carmen cum caractere humili Lucilii improvisationum non congruere. omni a parte? non sum, qui dicam ne minime quidem hoc extemporale cum Lucilianis carminibus congruere. quia - cum Agamemnon eligit Lucilium, tum hoc non omni modo debet significare eum eligere simul sermones repentines per humum, sed schedium Lucilianae simplicitatis ut improvisatio Luciliana in quandam magis generalem, quamquam non ideo minus essentialem, sententiam intentionis naturae et rationis Lucilianae intellegi debet: non est dubium, quin Agamemnon et Lucilianum argumentum et Lucilianam formam probet. quae probatio omni modo etiam in inusitata metrorum mixtura adparet: octo choliambi, immediate post hos quattuordecim hexametri. praeterea similitudines stilisticas contactibus argumentorum iam ipsis per se implicari intellectu facile est: confer Petronii loci

laudati versum 12 "Maeoniumque bibit felici pectore fontem" cum Lucilii fragmento 1061 (XXX 4) "quantum haurire animus Musarum e fontibus gestit".

In dicta Agamemnonis improvisatione Luciliana illud "obruat vino / mentis calorem" (v. 6.7) nos ad Ciceronem revocat, "ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino" (*Philipp. III 12*). verbum autem ridendi in versibus "sed sive armigerae rident Tritonidis arces / seu Lacedaemonio tellus habitata colono / Sirenumve domus" (v. 9-11) idem valet atque apud Horatium in *carm. II 6,13.14*: "ille terrarum mihi praeter omnis / angulus ridet." illud "det primos versibus annos" (v. 11) est praeceptum, quod Cicero passim profert, illud autem "Maeoniumque bibit felici pectore fontem" (v. 12) reducit in memoriam Ovidium eiusque *amor. III 9,25.26*: "adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni / vatum Pieriis ora rigantur aquis." quod spectat ad versum 13, "mox et Socratico plenus grege mittat habenas", conferi possunt loci apud Ciceronem, *or. I 10,42*, "philosophorum greges, iam ab fonte et capite Socrate", et apud Horatium, *ad Pis. v. 310*, "rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae". metaphora "Demosthenis armorum" (v. 14) ad litteram usus est iam Propertius in *carm. III 21.27*, "persequar aut studium linguae, Demosthenis arma", et similiter iam ante hunc etiam Cicero in *Brut. II 7* "ingenii... armis"; quae autem spectant ad illud "sic flumine largo / plenus Pierio defundes pectore verba" (v. 21.22), huic conferi possunt Ovidi verba in *fast. I 23.24*: "scimus... / ingenii currant flumina quanta tui."

*Satyricis* esse rationem vel maxime propinquam cum Horatii opere poetico ostendunt nobis non solum multi numero stilistici contactus, qui inter Petronii opus et linguam poeticam Horatianam intercedunt. etenim *cena Trimalchionis* est ad omnes partes pertinens vel maxime ampla tractatio thematis, quam invenimus iam in Horatii *cena Nasidieni* (*sat. II 8*). nec non inter has duas tractationes permultae congruentiae facile adgnosci itemque numerosae parallelae duci possunt. verum enim vero rarae modo attributiones ita feliciter de Horatii productione poetica felici sic feliciter dicunt, ut Petronii illa attributio - "Horatii curiosa felicitas" (*c. 118,5*).

Iam commemoravi Petronium neque Alexandrinis debentem mansisse, aequae ac ne Catullo quidem poetae novo Romano debuerit, confer Eumolpi de Troiae halosi epyllium in c. 89 Catulli carmini 64, ubi poeta Ariadnae fortunam describit. cum autem Bargates procurator insulae Eumolpo auxilium fert atque eum adfatur verbis "o poetarum dissertissime" (*c. 96,6*), tum quidem habes aditum vere Catullianum: "disertissime Romuli nepotum", illum quo Catullus M. Tullium adfatur (*carm. 49,1*).

Sed item in *Satyricis* comparuerunt poetae quoque vere Romani, id est: Tibullus et Propertius et Ovidius elegiarum scriptores. in hanc sententiam sunt reminiscentiae cum in plano rerum condicionum, quae describuntur, tum etiam in plano stilistico. confer exempli causa Petronii illud in c. 130,3 "sive verberibus contenta es" cum Tibulli illo in *carm. II 3,84* "non ego me vinclis verberibusque nego". tum confer Petronii in c. 133 v. 7.8 "non templis impius hostis / admovi dextram" cum Tibulli in *carm. III 5,11* "nec nos sacrilegi templis admovimus ignes". iam dixi Petronium ad litteram Propertii metaphoram "Demosthenis armorum" repetere. item illud Petronii in c. 126,18 v. 1.2 "quid factum est, quod tu proiectis, Iuppiter, armis / inter caelicolas fabula muta iaces" redigit tibi in

memoriam Propertii illud in *carm II 2,3.4* "cur haec in terris facies humana moratur / Iuppiter, ignosco pristina furta tua." verum quidem propinquitas ideae poeticae et motivi principalis tum demum perspicitur, cum ambo haec carmina simul ante oculos habentur, hoc est: et Propertii et Petronii, et quidem pariter integra.

Quosdam contactus, quae sunt *Satyricis* cum minimo natu et novissimo repraesentatore elegiarum εὐδους Ovidio, ostendi iam supra. sed cum eius opere poetico sunt multa contactus puncta etiam respectu motivorum. faciam exempli causa mentionem de descriptione casulae modestae in *sat. c. 135,3-136,3*, ad quam descriptionem scriptor noster apud Ovidium habebat specimen poeticum excellens: *met. VIII 631-688: Philemon et Baucis*. motivorum propinquitatem hic quoque in plano stilizandi similitudines naturaliter sequuntur, et tales similitudines egregie conspicuae sunt in descriptione Encolpii infelicis casus in congressu venerio cum Crotoniense Circa. quo loco per omnia Petronium etiam directim septima Ovidi elegia terti libri *amorum* inspiratum esse ponere potes.

In *sat. c. 74,13* audis Trimalchionem uxori iratae convicia regerentem dicere: "at inflat se tamquam rana." hinc cogitationem concipere potes Phaedrum eiusque fabulas Aesopias Trimalchionis quoque librorum lectorum fuisse, confer *fab. I 24*. quod autem spectat ad σπουδαίονελοστον in hoc fabularum genere, quod iam inde a vetere memoria inter prosam numerosque erat dubium, confer *Plat. Phaed. 61 B*, dicendum est hoc genus iam linguae caractere plebeio suo mimo, liberae dramaticae improvisationi in prosa et versibus, esse proximum. etenim in *Satyricis* reperiuntur multi directi, sed etiam indirecti contactus, ut cum Aesopia Phaedri fabula, ita etiam cum mimo Romano: illud "vile est, quod licet, et animus errore laetus iniuriam diligit" (*c. 93,1*) re vera est paraphrasis Publilii Syri (*sent. N 17*): "nil magis amat cupiditas, quam quod non licet." turgide interim atque adfectate stilizati versus - "luxuria rictu Martis marcent moenia" etc. - qui in *c. 55* a Trimalchione recitantur et quos hic Publilio Syro adscribit, sunt expolitione sua et sublimi stilizatione quamquam non Graecanicis sed Italicis senariis locum habentibus conspicuo in contrastatu cum stilo humili commemorati mimographi.

A Publilio vestigia nos reducunt ad Herodam, vel: Herondam, mimiamborum scriptorem. quorum carminum tonus vulgaris et naturalistica orientatio bonum fulcimen in forma stilistica choliambi Hipponactei invenerat. in *Satyricis* Seleuci convivae Trimalchionis illud "minoris quam muscae sumus" (*c. 42,4*) vive lectori in memoriam reducit illud apud Herodam ἐγὼ δὲ δραίνω μ<ν> δσον (I 15), aequae sane atque illud, quod Trimalchio de Fortunata dicit, "de machina illam sustuli, hominem inter homines feci" (*c. 74,13*), conferri potest cum Herodae illo ἐγὼ εἶμι, Γάστρων, ἦ σε θεῖσ' ἐν ἀνθρώποις (V 15).

Fas nequaquam est nos fieri immemores Sotadae, contemporanei Ptolemaei Philadelphi, de quo lyrico Strabo dicit eum primum carminibus in suis κιναιδολογεῖν coepisse. nam vix dubitari potest, quin ad hunc poetam duo *Satyricorum* carmina revocent: "hūc huc cito cōnvenite nūc spatolocinaēdi" etc. (*c. 23,3*) et "tēr corripuf̄ terribilēm manu bipēnnem" etc. (*c. 132,2*), saltem tantummodo argumentis suis et metrica forma, catalecticis scilicet descendentibus tetrametris Ionicis, qui ex Sotada nomen traxerut - versus Sotadei seu Sotadici.

**De sermone Milesio.** Prosae et numerorum mixtura iam inde ab antiquissima aetate in litteratura populari narrativa domicilium habebat. quae mixtura in litteraturam scriptam a Menippo philosopho Cynico introducta esse videtur. Hic dialogos philosophicos cum margine phantastico narrativo aculeatos et cavillantes componebat. quoniam autem Menippi genus litterarium eius concivis et Varronis contemporaneus Meleager excolebat, in cogitationem Varronem Menippeis in suis se etiam directim contemporaneis Graecis suis fulsivisse induci potes. sed Petronii *Satyricis* cum Varronis satiris Menippeis communis in argumentis eroticis tractandis libertas - linguae obscenitas - monstrat propinquitatem Ionicae fabulariae, qua in fabularia tractatio thematum amatoriorum ac motivorum lascivorum cum maxime divulgata erat. apud Petronium multae ex se ipsis aptae fabulae inveniuntur, quae variis in occasionibus ore singulorum fabulae principalis participum enarrantur: in c. 61,6-62,14 narrat exempli causa Nicero, conviva et collibertus Trimalchionis, de milite in lupum mutato, in c. 63 Trimalchio narrat de strigibus, in c. 85-87 Eumolpus narrat, quomodo Pergami ephebum formosum ad voluptatem illexerit, in c. 111. 112 Eumolpus fabulam narrat de matrona Ephesia. tales autem fabulas, quae in orali traditione Mediterraneam per regionem iam pridem divulgatae esse debuissent, Aristidem Milesium collexisse et edidisse et opus eius in Latinum sub titulo *Milesiarum* L. Cornelium Sisennam rerum gestarum scriptorem vertisse constat. de Aristidis originali unum solum vocabulum est nobis relictum, de Sisennae versione decem tantummodo fragmenta.

Atqui etiam exigua haec Sisennae fragmenta sufficiunt ad monstrandam propinquitatem visibilem fabularum amatoriarum apud Sisennam et Petronium et Apuleium, qui *Metamorphoseon* libros suos expressis quoque verbis sermonem Milesium adpellat. Quodlibet Sisennae fragmentum, si nesciremus, cuius esset, aequo animo Petronio adscriptum esse poterat, et nullum eorum a ratione Apulei *Metamorphoseon* abhorret: "quanti dantur?" 'tanti' inquit Olumpias, simul hoc dicens suavium dedit." quod Sisennae fragmentum *Milesiarum fragm. 8* convenienter sane in Petronii *Satyricis* locum habeat aequae atque proprietate sua Apulei quosdam amatoriarum rerum condicionum descriptiones tibi vive in memoriam reducit. aliud Sisennae fragmentum - "ut eum penitus utero suo recepit" *fragm. 10* - denuo, nisi scires, cuius esset, facillime Petronio adscriberes, et - apud Apuleium paene idem invenies: "totum me, sed totum recepit", *met. X 22*.

Non est dubium, quin in *Satyricis* etiam fabula Ionica popularis una cum Aristide et Sisenna eius auctoribus litterariis directa vestigia relinquere debuerit. Item res se habet etiam cum Menippo philosopho Cynico et Varronis satiris Menippeis, quae, si stilum et argumenta spectas, visibilem propinquitatem non modo cum fabularia Ionica, sed etiam cum Petronii *Satyricis* monstrant: "ante auris modo ex subolibus parvuli intorti demittebantur cincinni, oculi suppaetuli nigellis pupulis liquidam hilaritatem significantes animi, rictus parvissimus ut refrenato risu roseo" (*fragm. 375*) cum omnino simili descriptione apud Petronium in c. 126,15-17 comparari potest.

**De comoedia.** Sed alteros praecedentes suos *Satyrica* in Attica comoedia habent. Aristophanis illud ὄντες οἰχοὶ μὲν λέοντες ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες (*pacis v. 1189*) apud Petronium est in c. 44,14 "nunc populus est domi leones,

foras vulpes." item ille quoque locus in *c. 71,1* "tamen me salvo cito aquam liberam gustabunt" cum Aristophanis fragmento (25 *Kock*) μηδέποτε ὕδωρ πίοιμι ἐλεύθερον conferi potest.

Contactus, qui sunt *Satyriscis* cum comoedia Romana, praecipue facile animadvertuntur. Plauti versus (*Mostell. 12,60-54*) "nam ego ad illud frugi usque et probus fui / in fabrorum potestate dum fui. / postea quom immigravi ingenium in meum, / perdidit operam fabrorum illico opido. / venit ignavia..." apud Petronium iam repraesentant sublime stilizatum psychologicum χαρακτερισμόν: "nihil autem tam inaequale erat. nam modo Fortunatam <verebatur><sup>10</sup> [sc. Trimalchio], modo ad naturam suam revertebatur (*c. 52,11*). verum quidem scriptoris calami potentia nullos fines nosse videtur. eadem haec stilistica operatio vigore et vitalitate indebitatis etiam in Taciti analysi Tiberii characteris comparet (*ann. VI 51*): "morum quoque tempora illi [sc. Tiberio] diversa: egregium vita famaue, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit. occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. idem inter bona malaque mixtus incolumi matre. instabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit timuitve. postremo in scelera simul ac dedecora prorupit postquam remoto pudore suo tantum ingenio utebatur."

Terentii illud "dii deaeque", *hec. I 2,27*, communis sine dubio formula ex sermone cotidiano, in pulcherrimum carmen lyricum in *Satyriscis* intravit, *c. 79,8 v. I*. cum Terentii opere hoc Petronii etiam ceteroquin multos et varios contactus ostendit. facile est interim cogitatu fuisse eiusmodi contactus etiam cum Romanae togatae poetis, confer exempli causa Afranii *divort. VIII 61* "vigilans ac sollers, sicca, sana, sobria" cum Petronii illo, *c. 37,7*, "est sicca, sobria, bonorum consiliorum. tum etiam confer Titinii illud, *Barb. IV 5*, "reliqui acus aciasque ero atque erae nostrae" cum Petronii, *c. 76,11*, "ab acia et acu mi omnia exposuit."

**De philosophis.** Inter mediam Trimalchionis cenam Habinna comissatore cum uxore et ingenti frequentia intrante et cena ex hoc tempore essentialiter diversum, sed omni modo multo vivaciorem cursum percipiente fieri non potest, quin tibi Platonem eiusque *Symposium* in memoriam reducas: ad eundem plane modum Alcibiades - ἐστὲφ ανώμενος aequae atque Habinnas coronis ornatus erat - intraverat, ἐν χάμφω, una cum ceteris χωμάζουσιν, et - cena ex eo tempore speciem prorsus diversam nanciscitur, *symp. c. 30: 212 D sqq.* constat interea a Petronio inter auctoritates ad imitandum propositas Platonem quoque eligi, *c. 2,5*. qua in re momentum facit etiam ille locus, ubi dicitur: "Socrates, deorum hominumque iudicio sapientissimus, gloriari solebat, quod numquam neque in tabernam conspexerat nec ullius turbae frequentioris concilio oculos suos crediderat", *c. 140,14*. Socratem sapientissimum esse hominem suae aetatis enuntiat Alcibiades in *Plat. symp. c. 30: 213 E*, ac deorum quoque iudicio eum sapientissimum esse ex Platonis *apol. Socr. c. 5: 21 A* audis, ubi Socrates in medium profert Apollinem Delphis Pythiae ore Chaerephonti quaerenti, quis hominum qui tum erant sapientissimus esset, respondisse neminem inter contemporaneos eo, Socrate, sapientiore esse.

<sup>10</sup> verebatur *supplevit Heinsius.*

Vix dubitari potest, quin interpretatio de conceptione et partu mentis apud Petronium, c. 118, et idealiter et terminologicè a Platone ducat originem - ἡ κίνησις καὶ ἡ γέννησις, τόκος ἐν καλῷ. quod pertinet ad illud Nicerotis in *Satyricis*, c. 61,4, "satius est rideri quam derideri", hoc etiam apud Platonem invenitur in *symp.* c. 13: 189 B. sed quoniam eandem enuntiationem apud Aristophanem quoque invenies in *Ach.* v. 606, - ceterum apud Platonem ore ipsius Aristophanis prolata est, - Aristophanem et Platoni et Petronio communem fontem fuisse priore loco tibi ponendum erit. eandem adnominationem etiam apud Plautum invenies, *Stich.* IV 2,52, "nunc ego nolo ex Gelasimo mi fieri te Catagelasimum", postremo etiam in pseudo-Longini *subl.* 34,3 οὐ γέλωτι κινεῖ μᾶλλον ἢ καταγελάται.

Ne conaturus quidem sum omnes parallelas, quae sunt inter *Satyrica* et eos Χαρακτηρισμούς, quos Theophrastus scripsisse fingitur, adferre, quia huiusmodi parallelarum magna copia est. legendo enim Trimalchionis cenam sentis scriptorem hanc *Satyricorum* partem scribentem certe dictum scriptum ad manum habuisse. ibi autem, ubi dominus cenae astrologicam eruditionem suam ostendit, - confer "philologiam" Trimalchionis in c. 39,5 sqq., ubi ille de vi XII signorum explicat, - multi numero contactus statui possunt cum Manilio eiusque *astronomicis*, carmine epico, quod ut manuale astrologicum re vera repraesentabat carmen stoicum certans cum Lucretii Epicureo carmine epico *de rerum natura*. verum huiusmodi contactus etiam alibi in *Satyricis* intercedunt, atque ita exempli causa Manilii illud "donec in Aegyptum redeunt, curvata per undas / litora, Niliacis iterum morientia ripis" *astr.* IV 626.627, fit apud Petronium, c. 122 v. 132.133, "nec vaga passim / flumina per notas ibant morientia ripas." nec non est facile cogitatione percipere, quam multa vestigia in *Satyricis* ipse reliquerit Lucretius, poeta, cuius e calamo ipse pater veri - quemadmodum Petronius eum nominat - loquatur, id est: Epicurus. confer exempli causa Petronii *fragm.* XXIX "fallunt nos oculi, vagique sensus" etc. vel *fragm.* XXX "somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris" etc. cum Lucretii *de rerum nat.* IV 353 sqq. "quadratasque procul turris cum cernimus urbis" etc. atque ibidem cum v. 907 sqq. "nunc quibus ille modis somnus per membra quietem" etc.

**De rhetorica.** Agamemnon rhetor Encolpio declamationum ineptias reprehendenti in *sat.* c. 3,2 his verbis respondet: "nil mirum si in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere: nam nisi dixerint, quae adulescentuli probent, ut ait Cicero, 'soli in scholis relinquuntur.'" locus laudatus est ex *Cic. pro Cael.* c. 41: "illud unum directum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, prope soli iam in scholis sunt relictii."

Sed grandia "indomiti" Ciceronis verba apud Petronium atque omnino persaepe adparent. in illis interim textus partibus, ubi de ipsa arte dicendi contemporanea sermo habetur, multa elementa Petronio Seneca Maior praebuit. confer exempli causa in *Satyricis* illud in c. 1,1 sqq. cum *Sen. controv.* III *praef.* 12.13 : "in scholastica quid non supervacuum est, cum ipsa supervacua sit? indicabo tibi affectum meum: cum in foro dico, aliquid ago. cum declamo,... videor mihi in somniis laborare. deinde res ipsa diversa est. totum aliud est pugnare, aliud ventilare... aedum istos declamatores produci in senatum, in forum. cum loco mutabuntur. velut adsueta clauso et delicatae umbrae corpora sub divo stare non

possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt. adsuerunt enim suo arbitrio disertis esse." vel ibidem *X praef. I*: "interrogate, si qua vultis, et sinite me ab istis iuvenilibus studiis ad senectutem meam reverti. fatebor vobis, iam res in taedio est. primo libenter adsilui velut optimam vitae meae partem reducturus. deinde iam me pudet, tamquam diu non seriam rem agam. hoc habent scholasticorum studia. leviter tacta delectant, contrectata et propius admota fastidio sunt."

Omnia autem themata declamatoria, quae Petronii loco laudato inveniuntur, ordine iam apud Senecam Maiorem invenies: confer piratas in catenis in Senecae *controv. I 2,8*, tyrannum filiis, ut patrem caederent, imperantem in *IX 4*, divitem et pauperem inimicos in *V 5* (Trimalchio apud Petronium in *sat. c. 48,5*: "quid est pauper?").

**De historiographis.** Postquam potantibus et adcuratissime lautitias mirantibus convivis (*c. 34,8 sqq.*) larua argentea est a servo adlata, - ita aptata, ut articuli eius in omnes partes flecterentur, - Trimalchio sensit eius loci esse, ut elegidariis, binis hexametris singulisque pentametris, ex tempore factis convivas moneret de morte, quae quemque maneret, atque ut eos hoc modo cohortaretur et ad vitae voluptates fruendas incitaret: "eheu nos miseros, quam totus homuncio nil est! / sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. / ergo vivamus, dum licet esse bene." etenim mos Aegyptiorum in hoc deverticulo habet locum, de quo narrat Herodotus in *hist. II 78*: in domibus Aegyptiorum divitibus post cenam ad convivas e ligno factam mortui figuram efferunt et eos monent: "hanc spectans bibe et tibi satisfac! nam, ubi diem supremum obieris, talis eris." quod autem apud Trimalchionem non sit sceletus ligneus, sed argenteus, id naturaliter cum eius extravagantia elegantia convenit.

Facile est intellectu a Petronii *Satyricis* - διήγημα πλασματικὸν παρὰ τὴν ἱστορίαν dico - momenta ex amplissima antiquae historiographiae hereditate abesse non potuisse. sed haec momenta praecipue animadvertere potes, si *Satyrica* cum operibus Romanorum historicorum, imprimis Sallusti, confers. in hanc sententiam possunt exempli causa conferi versus in *c. 119 1-8* cum *Sall. bell. Iug. c. 81,1*. atqui versus in *sat. c. 123 185 sqq.* "prima quidem glacies et cana vincta pruina" etc. prorsus respondent descriptioni, quam apud T. Livium, *a. u. c. XXI 36,5-7* invenies: "nam cum super veterem nivem intactam nova modicae altitudinis esset, molli nec praealtae facile pedes ingredientium insistebant. ut vero tot hominum iumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem fluentem tabem liquescentis nivis ingrediebantur. taetra ibi luctatio erat via lubrica glacie non recipiente et in prono citius pedes fallente." sed haec hactenus.

**IV. DE EPICO ET LYRICO IN SATYRICIS.** Quid genus litterarium sit. Redeamus ad rem. Petronii carmen in *c. 79,8 v. 1-5* integrum adferam: "qualis nox fuit illa, dii deaeque, / quam mollis torus! haesimus calentes / et transfudimus hinc et hinc labellis / errantes animas. valete, curae / mortales, ego sic perire coepi."

Petronii in *Satyricis* saepe, sicut iam dixi, numeri cum prosa miscentur. cui generi litterario hic locus est? ante omnia notandum est universam hominis spiritualem actionem eius actioni sensitivae directam deberi. nam actio spiritualis

re vera nihil est aliud nisi subtilissimus surculus sensitivae hominis naturae, hoc est: eius sensitivatis. verum enim vero, quamquam de opere arte facta est statuendum iuxta cunctam naturam productivam suam - re vera: propter ipsum id esse creativum suum - repraesentat, tamquam quiddam in mundo omnino novum, certum ex se ipso aptum totum, tamen necesse est id opus, ut productum, cuius eodem tempore et spiritualis et materialis natura est, omni tempore ad aliquid praecedens adnectatur. quae cum ita sint, opus arte factum cum esse organico conferre potes. hac autem in re in oculis tibi positum esse debet in opere artificioso leges regni naturae et regni spiritus non iam se ostendere ut diversas et inter se separatas, sed ut easdem et unitas. hac in occasione lectori benevolo reduco in memoriam illud, quod dixi in huius articuli mei exordio: verum est - totum.

In historia litteraturae nos re vera in ingenti et varia multitudine generum litterariorum occupati sumus. verum quidem differentia inter numerosa genera litteraria multo est facilius ad intellegendum, si mente comprehendimus lyricam et epicam litteraturam reapse solas duas generum litterariorum classes generales repraesentare. etenim has ad classes etiam omnia cetera, specialia litteraria genera revocari possunt. ideo haec duo genera litteraria, hoc est: lyricum et epicum, genera litteraria veluti principalia vocare possumus. at si hanc cum maxime generalem descriptionem in eius essentia intellegere volumus, iam ante omnia modus ipsius esse phaenomeni artificiosi nobis est definiendus.

Cuiusvis artis poeticae munus maxime generale est in eo, ut verum et reale transformet in simulacrum, quod sensibus animadverti possit. admoneo ad huiusmodi munus plus minusve omnem quoque aliam artem - verbo: artem in summa - revocari. nam in eo est, ut homo vivat in medio finitae realitatis, sed ut ita vivat, velut si haec realitas sit ad eum infinita. quod fieri potest tantummodo mentis humanae auxilio, phantasiae, quae una ex facultatibus humanis inter se oppositas proprietates coniungere potest. quam ob causam atque esse artis locum habet in ea facultate, ut mens - phantasia - productiva efficiatur.

Opus artificiosum, tamquam productum artificis potentiae creativae, numquam non adpetit id, ut totalitatem adsequatur, id est mundum, qui ut circulus conclusus universae realitatis ambifariam atque in utramque partem considerari possit. semel ita, ut a rebus, quas complectatur, proficiscaris, iterum autem ita, ut proficiscaris a sensibus, per quas has res in se accipias. exterius enim mundus modo ita et hactenus ad hominem esse potest, si et quatenus homo ad eundem ei respondentia organa possidet. hinc est intellegibile etiam poetam mundum ambifariam adsequi. hic enim item vel in circulo rerum vel in circulo sensuum versetur nesese est. atque primum narratoris proprium est, alterum poetae lyrici. praeterea addendum est primum atque alterum non adparere unumquodque solum vel, multo minus, tamquam oppositionem quandam, sed talem maxime generalem descriptionem tantummodo ad ultimum ac momentum facientem effectum spectare. nam omnes variae condiciones humani esse aeque atque omnes eius vires naturales in tam intima propinquitate inveniuntur et tam inter se circumscribuntur et sustentantur, ut nullam earum separatim considerare possis, nisi eodem tempore adsciscas totum quoque circulum, in quo totum compareat.

In *Satyricis* prosa praevallet, atque omnino hoc opus in integritate sua praecipue esse characteris narrativi videtur. attamen permulta elementa lyrica

nequaquam sunt neglegenda. quae elementa cum narratione epica adsidue conectuntur eique colorem peculiarem dant. item dicendum est lyricum in *Satyricis* non tantum in versibus adparere, quo magis: nec maxima ex parte in versibus, sed pariter saepe etiam in prosa: "tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertemptatum mulcebat aera, ut putares inter auras canere Sirenum concordiam. itaque miranti et toto mihi caelo clarius nescio quid mihi relucente libuit deae nomen quaerere", c. 127,5. attamen in fundamentis huius operis est prosa - narratio de variis casibus.

**De colloquio cum traditione.** Facile est intellectu in *Satyrica* etiam elementa ex Romana hereditate epica intravisse. Petronii illud "intra membra furens curis latrantibus errat", c. 119 v. 55, ab Ennii illo "animus cum pectore latrat", *Varr. de lingua Lat. VII 103*, non longe abest permultis scilicet Petronii versibus ipsum Vergilium indicantibus, poetam, quem *Satyrica* parem Homero ponunt, c. 188,5. at fabula quoque de matrona Ephesia ad iustum modum Vergilianum nuntiatur. nam illud "conversis igitur in se vultibus auribusque sic orsus est", c. 110,8, reducit tibi vive in memoriam exordium secundi libri Vergilii *Aeneidis*: "conticuere omnes intentique ora tenebant. / inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto."

Sophoclem et Euripidem poetas tragicos Petronius in *Satyricis* ut auctoritates respectu probae dicendi artis denotat: "nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui", c. 2,3. quarum in auctoritatum numero habentur quoque Platon, Thucydides, Demosthenes, Hyperides, nec non super omnes scilicet Homerus, c. 2,4, quem ipsis in fundamentis huius operis esse iam ostendi: Sophoclis reminiscentiam habes plane in c. 132,13, - *Soph. Oed. r. v. 1268 sqq.*, - at numerosas reminiscentiae Homeri carminum epicorum vix enumerari posunt: illud "'o felicem' inquit [Eumolpus ad Gitonem] 'matrem tuam, quae te talem peperit'" in c. 94,1 Vergilianum loquendi modum vocare poteras, nisi scires eum quoque ipsum hoc a Homero sumpsisse, *Od. VI 154 τρισμακάχαρες μὲν σοί γε πατήρ καὶ πρότῆρα μήτηρ*. quod pertinet ad versus in c. 127,9 v. 1-8, hi directam repraesentant imitationem idem significantium versuum Homericorum in *Il. XIV 132. 346-351*, confer versum 328. integra autem *Satyrica* Homeri esse *Odyseam* aliena veste indutam dixi iam supra.

Si dico Petronii temptationem hereditatis litterariae eodem esse tempore etiam *Satyricorum* cum hac hereditate colloquium, tum hoc nequaquam intellegendum est ea mente, ut Petronius sui arbitrii sermonem cum traditione litteraria antiqua conferat. nam ad hoc colloquium valet illud, quod omnino quoque ad quodque verum colloquium valet: colloquium est prorsus hactenus magis sermo verus, quatenus minus voluntati collocutorum, qui id participant, obnoxium est. iustum enim colloquium numquam ille sermo est, qui conferebatur prorsus ita, ut quidam ex participibus sermonis voluit. atque ideo patet rectius esse dicere quendam se in sermonem dare. ipsum autem colloquium est id, quod hominem in se trahat: nemo enim - qui re vera colloquitur - iam ante scit, qualis ultimus eventus ipsius colloquii futurus sit. nam, si talem scientiam possideat, colloquium supervacaneum sit. quam ob rem de collocutoribus rectius est dicere eos non esse colloquii ductores, sed potius ductos. colloquium in se fert suam ac propriam

voluntatem et suam ac propriam veritatem, quae in ipso aperitur et de qua ipsum demum perficit, ut adpareat. quaestio autem de hereditate litteraria in *Satyricis* repraesentat ipsum quoddam tale - verum colloquium. ideo hic quaeremus, qui fructus ex hoc colloquio captus sit.

**Iudicium litteratum.** Artis dicendi contemporaneae reprehensio comparet in Encolpii disputatione cum Agamemnone eloquentiae magistro. qua ex disputatione clare patet oppositionem, quae sit inter artem dicendi praeteritam et argutias declamatorias contemporaneas, cum oppositione inter productionem artificiosam contemporaneam et pristinam artificiosam productionem communem atque eundem habere fontem. quibus de isdem oppositionibus aliis quoque locis in *Satyricis* narrantibus de oppositione inter picturam contemporaneam et praeteritam praecipue in c. 88 fit mentio, ubi Eumolpus disputat, cur pictura ceteraque artes ingenuae perierint. de arte interim poetica seorsum disseritur in c. 118, ubi Eumolpus fallacia cum comitibus excogitata, qua captatores Crotone ad largiendum excitarent, explicavit, quomodo historia poetis tractanda esset.

In litteratura Romana artis poeticae fortuna cum illa artis oratoriae iam aetate Augusti coniuncta poesis cum rhetorica in Ovidii opere poetico foedus fecit. quoniam illis temporibus oratio politica obmutuit, rhetorica magis magisque ad scholasticam artem oratoriam - exercitationes, declamationes fictis rebus fundatas - revocari coepit. ipse autem Ovidius - in cuius poesi re vera ad rhetoricam nova agendi regio aperiēbatur - expressis verbis de propinquitate operae poeticae suae cum arte oratoria loquitur. at quoniam hic nexus inter rhetoricam et poesim Augusti heredum temporibus etiam insuper firmatus est, facile est intellectu, cur in *Satyricis* disputationes de fortuna poeticae artis et fortuna artis dicendi eundem habeant locum.

Iam in principio fragmentorum, quae supersunt, Encolpius declamationum ineptias reprehendit ficto exemplo orationis invalidi bellici: "haec vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi. date mihi, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent." condicio gravissima ad bonam orationem est ea, ut oratione verum dicatur. at problema est omnino in eo, ut studiosus huiusmodi res declamans verum non dicat. quae res Encolpii iudicio tolerabiles essent, si discipulis ad eloquentiam viam facerent. attamen rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantummodo studiosi proficiunt, ut, cum in forum, vitam scilicet realem, venerint, putent se delatos esse in alium quendam orbem terrarum. quid ergo est? adulescentes in scholis stultissimi fiunt. nihil enim ex his quae in usu habentur audiunt et vident, sed sola phantasmata: piratas cum catenis in litore stantes, tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiiis, ut patrum suorum capita praecedant, responsa in pestilentiam data, ut virgines immolentur, verbo - mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. tum ad intellegendum est facile studiosos, qui in tali culina nutriantur, non sapere posse. verba, quae in huiusmodi fabrica cuduntur, volant tamquam folles - leves et inanes. itaque effectum est, ut corpus orationis enervaretur et caderet.

Ergo: rhetorica, artis dicendi disciplina, quae malis ad eloquentiam temporibus intra perfugium scholastici laboratorii se recepit, a vita reali penitus abalienata est. cum theoretici sensus - oculus et auris - impediti in vigore originali

suo steriles sint, verba orationum, quae hic finguntur tantummodo leves sunt atque inanes soni, orationes ipsae se ut sententiarum vanissimos strepitus ostendunt. realitatis oblivio totalis in eo adparet, ut hic educatus orator in mundum realem immisus se in alium orbem terrarum delatum putet. Tum plane perspicuum est in tali oratoria arte Horatii "sapere" oratori non esse  $\pi\eta\eta\eta\nu\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\rho\chi\eta\nu$  neque eius productis apud communes sensu communi praeditos homines veniam dari: "hoc' inquit [sc. Trimalchio] 'si factum est, controversia non est. si factum non est, nihil est.'" Ita ait Trimalchio in c. 48,6 ab Agamemnone controversia quadam scholastica exposita. qua in sententia ineruditi novicii Trimalchionis verum linguae artis oratoriae contemporaneae adparet. quoniam ars dicendi germano e medio suo, ex historia est evulsa, lingua huius artis oratoriae ad vacuas voces revocatur. quae lingua est modo lingua in speciem, hominibus communibus aliena et inintelligibilis. verbo: artem dicendi contemporaneam denotat hiatus, qui inter linguam et realitatem est apertus.

Sed mala tempora ad artem dicendi sunt mala tempora etiam ad artem poeticam. nec non etiam omnino ad artificiosam productionem. nam non sola eloquentia stetit et obmutuit: "ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt ad senectutem canescere. pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiarium invenit." Plinius autem scribit (*nat. hist. XXXV 110*) Philoxenum Eretriacum accepisse celeritatem pingendi a Nicomacho magistro suo ipsumque alias quoque picturae methodos compendiarium invenisse. ergo:  $\mu\acute{\epsilon}\theta\omicron\delta\omicron\varsigma$  hoc modo sibi immolaverat  $\tau\acute{\epsilon}\lambda\omicron\varsigma$  ipsius artis. Quod autem spectat ad illud "Aegyptiorum", narratur sine dubio de Graecis artificibus aetatis Alexandrinae.

Causam desidia praesentis in artificiosa creatione adparet esse simul causam eius rei, ut omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quidquid Apelles Phidiasque Graeculi delirantes fecerint. altera ex parte, productio poetica revocata est ad delectationem atque animi relaxationem desidiosorum - artificium specie tenuis: "forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tamquam ad portum refugerunt, credentes facilius poema exstrui posse quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam." verum quidem haec hactenus. de scriptoris nostri litterato iudicio satis exposui.

**V. DE PETRONII EXPERIMENTO EPICO.** Eumolpus contra Lucanum. Reprehensio propria epicae artis contemporaneae ab Eumolpo disputatione polemica cum Lucani *Pharsalia* fundatur, historico carmine, quo bellum civile inter Caesarem et Pompeium describitur. Eumolpus re vera edicit criticam reprehensionem, quam ceteroquin Petronii minori natu contemporaneo et puero mirabili edicebant, id est: poesim ab eo historiae immolatam esse seu, Quintiliani iudicio, rhetoricae. statim initio explicationis suae in c. 118 Eumolpus severe monet eos, qui poetae fieri cupiunt: "multos, o iuvenes, carmen decepit." - Eumolpus ait *iuvenes*, in oculis scilicet ponendo etiam Lucanum, qui admodum iuvenis erat, sed, qui non modo se Vergilio conferre nequaquam cunctabatur, sed etiam se super eo esse putabat. Vergilium Lucanus simpliciter tacite praeteriit: "nam si quid Latiis fas est permittere Musis, / quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores, / venturi me teque [sc. Neronem] legent" (*IX 983-985*). hoc enim loco

clare patet poetam iuvenem se (et Neronem - quia necessitati parendum erat -) esse novum Homerum putare. - hi igitur iuvenes, ut quisque versum pedibus instruxerit, se continuo in Heliconem venisse putant, praesertim si tam ingens opus, quam est carmen epicum de bello civili, componere volunt. ut rationem suam magis perspicue demonstret, Eumolpus satis admirando loco et tempore componit et recitat 295 versus carminis epici de bello civili (c. 119,1-124,2). et quidem idem ille Eumolpus, qui paulo ante cum comitibus fallaciam excogitavit, qua Crotone - ergo: in urbe heredipetis apta - captatores hereditatum excitarentur ad largiendum. quae consilia sunt in conspicua contrarietate cum Eumolpi carminis tono optime morato. hoc igitur loco et tempore Eumolpus noster epullion ut exemplar carminis epici classici in congruentia cum traditione Vergiliana componit.

**De Petronio et Lucano.** Sunt multae quaestiones hac cum Eumolpi improvisatione coniunctae. quae est perlonga ut *Satyricorum* pars, sed ut epicum carmen admodum brevis. Petronii opus ad finem perductum esse debuit, seu non perductum ad finem mansit ante annum 66 seu hoc anno ineunte. Lucanus explevit seu fortasse etiam publicavit tres sui ipsius carminis epici libros anno 61, ergo: quinque annos ante Petronium mortuum. atque dum Lucani non ad finem perductum (!) epicum carmen complectitur 8000 versus, Eumolpi ad finem perductum (?) continet solos 295 versus. postremum, conclusivum Eumolpi epyllii versum, "factum est in terris, quidquid Discordia iussit", E. H. Warmington in Petronii *Satyricorum* editione sua<sup>11</sup> ut interpolationem uncis quadratis inclusit. attamen sentio eum nulla alia de causa hoc fecisse nisi ea mente, ne solius istius controversi versus causa decedere de praedicio suo de Eumolpi experimento ut carmine epico non ad finem perducto deberet. nam ipse hic postremus versus in totius carminis contextu Eumolpi carmen epicum non esse experimentum non absolutum sed in se conclusum totum clare ostendit.

Ut clarius sit, qua de re agatur, commemoratum versum in contextu cum praecedentibus Discordiae verbis adferam (v. 283-295): "sumite nunc, gentes, accensis mentibus arma, / sumite et in medias immittite lampadas urbes! / vincetur, quicumque latet. non femina cesset, / non puer aut aevo iam desolata senectus. / ipsa tremat tellus lacerataque tecta rebellent. / tu legem, Marcelle, tene! tu concute plebem, / Curio! tu fortem ne supprime, Lentule, Martem! / quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis, / non frangis portas, non muris opida solvis / thesaurosque rapis? nescis tu, Magne, tueri / Romanas arces? Epidamni moenia quaere / Thessalicosque sinus humano sanguine lingue' / factum est in terris, quidquid Discordia iussit." cum Warmingtone hunc postremum versum interpolationem esse atque Eumolpi epicum carmen non ad finem perductum esse non consentio. atqui - si dictus versus re quidem vera interpolatio scribae esset, tum eundem non Petronio sed librario adessem.

Cum Lucanus debellationem inter Caesarem et Pompeium respecta simul tota epocha intestinalium rerum perturbationum a Gracchis ad Actium pertractaret et in expositione sua iam inde a Homero mythologico adparatu obligato renuntiaret, Eumolpus ei mythologice renovatum breve carmen epicum opposuit, quo in

<sup>11</sup> *Petronius*. With an English Translation... William Heinemann Ltd., Harvard University Press, 1969.

carmine epica agendi repraesentatio solis duabus scaenis finita est: Caesaris Alpium transitu, qui hic re vera Rubiconis traiectionem mutat - adparet parvum fluvium Rubiconem animos legentium vehementius movere non posse - ac descriptione timoris veluti lymphatico, qui deinde Romae factus est et quem fuga administrationis Capuam secuta est. rerum gestarum praecedentium historia earumque, quae his rebus ita se habentibus insequerentur, ab poeta ipso ordine non obligato signata est.

Ioannes Kasumović<sup>12</sup> a Petronio Lucanum Vergilio et Lucretio conferi et, cum Eumolpi ore reprehendatur, a Petronio poetam iuvenem honorari notat. via interpretandi ac demonstrandi Kasumovia aliquantum indirecta est. de argumentis ad regionem stilisticam spectantibus is semper denuo ad privatas inter Petronium et Lucanum rationes disceptandas transit. primum demonstrat Lucanum magnum esse poetam, deinde etiam porro procedit Lucanum Vergilio praepone. statim deinde Kasumovius demonstrat Eumolpi sententiam non esse Petronii. Petronium enim Eumolpi carmine epico modo simulacrum Eumolpi figurae voluisse explere. Kasumovius simul notat Petronium optime Lucani ingenium novisse atque ei Eumolpi carmine re vera voluisse tribuere - honorem. Petronium non fuisse Lucani adversarium politicum, sed earundem partium fautorem. Eumolpi carmen epicum componit Petronius Kasumovii iudicio Lucano mortuo et eloquitur ei hoc modo futuram post mortem famam, quia a communi inimico occisus est: Petronium parodiam Lucani carminis non scribere, non impetum in eum facere ut in adversarium politicum, non ridere eum, non eum reprehendere, non docere eum, quomodo historia epice tractanda sit, non creare ad eum specimen poeticum, attamen neque adversarios eius adgredi. ita Kasumovius concludit.

Martinus Kuzmić<sup>13</sup> (op. laud., p. 262) longe aliter Eumolpi carmen epicum intellegit. is quidem putat E. Westerburgum frustra demonstrare Lucanum a Petronio rideri, sed etiam B. Kindtum errare dicendo Lucanum in opere suo Caesarem minorem fecisse Pompeium et Crassum efferendo, Petronium contra hoc Caesarem magnum facere voluisse. verum Kuzmii iudicio Petronius Lucani poema vere reprehendit, sed modo ea de causa, quod poeta iuvenis a carmine epico suo mythologicum planum exclusit. in Kuzmicii interpretatione modo hac de re agitur, ut classicistice dispositus Petronius vituperet minorem natu contemporaneum suum, quod adparatui mythologico nuda historiae causa renuntiaverit.

Contra Kuzmii *Petronium classicistam* Renatus Pichon, auctoritate ornatus Francogallicus historiae Romanae litteraturae - *Histoire de la littérature latine*<sup>14</sup> - scriptor excogitavit *Petronium anticlassicistam* Pichonii enim iudicio Petronius ibi Lucanum ridere non voluit, sed longe contra - adversarios Lucanianos. cum Petronius Lucani *Pharsaliam* opus artificiosum mirabile esse putaret, Lucani autem adversarios molestias humillimas, ipse Lucani adversarios hoc modo derisit, ut apologiam artis poeticae classicae tali mendico et confuso homini, ut Eumolpus esset, permisisset. talis apologia classicismi, concludit Pichonius, directa est prorsus - contra classicismum. at Iosephus Moisevič Tronskij philologus

<sup>12</sup> *Lukan i Petronije*. Nastavni vjesnik, Časopis za srednje škole, knj. XIV., str. 489-496. 573-581. 649-654. 729-732.

<sup>13</sup> Op. laud. p. 262.

<sup>14</sup> Librairie Hachette et Cie, Paris, 1897., p. 584 sqq.

Russicus, praeclarus historiae litteraturae antiquae scriptor<sup>15</sup>, censet Petronium in Eumolpi reprehensione critica duplex propositum habuisse, disputationem polemicam cum Lucano et parodiam classicistarum tardi ingenii contemporaneorum.

Addo tantummodo etiam admonitionem interpretationes adlatas ne minime quidem esse interpretationes confusissimas, quae hoc de themate hactenus sint edictae.

Hac excursione facta censeo tamen optimum fore ad ipsam orationem scriptoris se referre. Eumolpi disceptatio de eo, quemadmodum historia poetis tractanda sit, atque de bello civili carmen epicum, quod adlatas theoreticas rationes illustrat, ad ipsum Lucanum eiusque *Pharsaliam* spectant, et hoc est hoc. sunt interim in Eumolpi reprehensione critica Lucani poesis atque in eius experimento poetico quaedam, quae nullus interpretator respiciat, hoc est: Eumolpi illud *ambages deorumque ministeria* dicere velle verum historiae multo profundius esse, quam quod casibus historicis visibilibus - res gestas dico - exhauriri possit: "ecce belli civilis ingens opus quisquis attigerit nisi plenus litteris sub onere labetur. non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum torrentem praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat quam religiosae orationis sub testibus fides." munus enim est poeticae phantasiae in eo, ut eius carmine in medium proferatur atque in luce ponatur etiam illud invisibile, quod sensu nostro percipi seu oculo cerni non possit, et quod tamen sine dubio realitas historica est, nonnumquam etiam verior illo visibili et illo, quod facile oculis videatur. non impugnata veritas huius realitatis, quae in historia cum maxime agens est, tamen solitis et usitatis scientificis argumentis demonstrari nequitur. contra hoc Lucani epica repraesentatio est series simulacrorum visibilium, in quibus poeta se intra fines continens fontium historicorum, imprimis Livii, "religiosae" orationis sub testibus fide accuratissime observata exponit aliud post aliud singula episodica, deverticula, quae non sunt semper in interiorem inter se mutuuum nexum adducta. Illud autem invisibile, quod universa quae facta sunt in unitum sententiae totum contrahit, id a Lucani carmine epico abest. Eumolpus reprehendit absentiam huius invisibilis in Lucani arte poetica et in epico experimento suo hoc invisibile adducit in scaenam, nam ipsi dii in carmine perficiunt, ut in eo ponatur in luce etiam illud, quod quidem non videatur, sed quod tamen re vera fiat. existentia et veritas huius invisibilis divinis elementis adhibitis supra omne dubium sublatae sunt. quem ad modum dubium non est, quin etiam τὸ ἀόρατον re vera sit. verum historicum nanciscitur hoc modo cohaerentem plenitatem suam. quae plenitas invisibili demum completa est id, quod re vera est. homo e contrario, cum plus minusve tamen in vitam cotidianam immergatur, huius rei perraro memor est. et hactenus etiam Martinus Kuzmić recte monet, cum dicat a Petronio, non modo a conturbato Eumolpo, Lucanum vituperari, quia e carmine epico suo *ambages deorumque ministeria* eiecerit.

<sup>15</sup> Povijest antičke književnosti. Preveo prof. Miroslav Kravar. Matica hrvatska. Zagreb, 1951., str. 534.

Iterum mihi repetendum est: Eumolpi de bello civili experimentum epicum parodia est ipsius Lucani *Pharsaliae*. sed sententia et intentio huius carminis epici, quod haud temere insertum est in itinere Crotonem, demum e rerum condicione, in qua componatur, intellegi potest. fraudator et nebulo loquitur voce probi et iusti hominis, voce maxime qualificati iudicis. hic fere evenit quiddam, ut si macilentus loquatur voce crassi, iuvenis voce senis, parvus voce magni. nam in eo est, ut auctores "novi" stili, hi novi δημοουργοὶ ὀνομάτων, perseveraverint re vera in linea augendi discidii et deprimentae fissurae inter sermonem et realitatem. armati meditata ὀκονομία περὶ τὸ πάθος coeperunt credere contactu cum tempore praesenti originali amisso sermonem esse illud, quod essentiae eius prorsus contrarium sit: instrumentum manuale, quod perficit, ut ratio nostra consilio et via abutatur illa captiosa potentia, quae lateat in verbis - δύναμις τῶν ὀνομάτων. veritas linguae ut controversiae hic evanescit et species a vero clare discerni nequitur.

**Vera oratio.** Rhetorica condimento suo in poesi oblectationi servire debet, acervatione autem horribilis, contentione, superatione - illud frequens Lucani *cedat nunc* - stilum patheticum ad extremos fines efficacitatis adducere debet. nam absentia hereditatis culturalis intellegendae et separatio a vita nota communis est et artis dicendi contemporanea et poesis. hiatus inter sermonem et realitatem factus in eloquentia contemporanea item contemporaneam poesim denotat. Ideo lingua huius poesis neque intellectus mundi contemporanei est neque consensio de mundo sed prorsus - inintellectus, qui est dissensionum fons. et quoniam sermo huius artis a vita reali et proprio praesenti tempore alienatus est, is est re vera sermo tantummodo in speciem, communi populo alienus et inintellegibilis.

Sed sermo ut sermo est iam inde a prima hominum memoria ac prius quapiam schola rhetorica: "nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba, quibus debent loqui" (c. 2). nam iuvenum ingeniis a doctore umbratico nondum deletis Pindarus novemque Lyrici Homerum in maximo honore habentes ipsius versibus, quorum sermonem recte intellegebant, canere timuerunt. - agitur scilicet de illo novem lyricorum canone, quem philologi Alexandrini composuerunt, atque inter novem hos est, intellegitur, etiam Pindarus. - atqui certum est neque Platonem neque Demosthenem haec exercitationum genera parere potuisse. nam grandis et pudica oratio, vera oratio, fructus astutarum linguae compositionum esse non potest, sed per se ipsum naturali pulchritudine exurgit: "grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exurgit."

**CONCLUSIO.** De colloquio cum traditione spirituali. Vidimus igitur ex expositione praecedenti Petronii *Satyrica* ut temptationem universae hereditatis spiritualis re vera esse colloquium cum traditione. quo ex colloquio praecepta ad Petronii oppositionem contemporaneam, quae est inter sermonem litterarium et cotidianum, intellegendam nancti sumus, et quae in *Satyricis* expressis verbis adparet in sententia, qua Encolpius primam personam gestans Eumolpum poetam adfatur: "saepius poetice quam humane locutus es" (c. 90,3). quam sententiam in Croaticum ita fere vertere potes: "češće si govorio kao pjesnik nego kao čovjek." quoniam in sermone decernitur de contemporalitate tantum ad

hunc modum, ut etiam de tempore praeterito et illo futuro decernatur, *Satyrica* usque continenter infirmiore nexum inter tempus praesens et praeteritum per parodiam conantur firmare. conscientia aequalitatis praeteriti et praesentis et futuri - *praeterita, instantia, futura* Tac. hist. III 36,1 - certitudinem suam in classica mythistoria restauranda inveniebat. quae re vera erat memoria patriae humanae tranquillitatis illis temporibus iam funditus evanescentis.

**De sermone litterario et cotidiano.** Productionis litterariae praeteritae nota erat in eo, ut haec excresceret ex humano historico mundo atque hunc ad modum e vita in essentiali verbi significatione, ad testimonium citat scriptor Homerum, lyricos - illos novem, quos clarus Κᾶνὼν adfert - ac Romanos Vergilium et Horatium. experimentum epicum suscipiens et simul certamen cum Lucani carmine epico historico Petronius oppositionem inter productionem artificiosam contemporaneam et productionem artificiosam, quae quondam erat, declarat ostendendo praeteritam productionem artificiosam proprio tempore praesenti intellegendo fundatam esse atque hac de causa contemporaneis suis plane intellegibilem fuisse, contemporaneam ex contrario productionem artificiosam, quia a vita alienata sit, praeter proprium tempus praesens fieri et ideo cum contemporaneis suis dissentire. quae oppositio apud Petronium etiam in dissensionibus adparet inter productionem spiritualem contemporaneam et illam praeteritam - quod est simul etiam fons dissensionum inter earum sermones - et in dissensionibus contemporaneorum, qui dicuntur hominum communium, cum productione spirituali praeterita.

**De sermone et historia.** Quae ad historiam pertinent, homo Petronii aetatis viribus suis non confidit. evanescentia efficaciae conscientiae historicae eodem est tempore evanescentia intellectus certitudinis, atqui sermo poeticus nihil aliud est nisi ipse sermo humanus in verbi significatione maxime originali. in enuntiatio *saepius poetice quam humane locutus es* re vera inter se opponuntur duo phaenomena ad hunc modum, ut in innaturalitate huiusmodi oppositionis alienatio hominis Petronii aetatis in luce ponatur. - et noli ex memoria deponere, carissime lector, Petronium hoc opus scribendo inter ipsa summa fastigia generis humani versatum esse. - productionem artificiosam praeteritam temptat Petronius in parodia, quae ut narratio plasmatica praeter historiam per carmen epicum classicum restaurandum est simul etiam critica essentialis proprii temporis praesentis - Romanensis fabula, quae quaerit de veritate et inclinatione momenti historici sui. Temptatio autem huius veritatis et huius inclinationis locum habet in ipsa lingua, quia ipsa lingua est illud medium originale, quod nobis omnino demum perficiatur, ut veritatem de se et de mundo intellegamus et edicamus. nam homo ut ζῶν πολιτικὸν tantummodo in historia homo est atque ideo est ut homo semper - in lingua.

*Antun Slavko Kalenić: LANGUAGE AND PARODY IN PETRONIUS' SATYRICON*

## S u m m a r y

The author begins his article by delineating the kinds of speech in Petronius' *Satyricon*. Since the differentiation which contends that there is a greater number of sensual elements in everyday speech and a greater number of cognitive elements in literary language is inadequate, the author sets forth other elements which help us to differentiate everyday from literary language. The author investigates these elements using examples from Petronius' *Satyricon*. In the first place among these elements one should mention the tendency of everyday speech to use paratactical constructions of the sentence. In addition, mention is made of the following: exclamations, imperatives, swearing and begging, tag words of affirmation and negation, interrogative pronouns, interrogative formulas, short affective sentences and sensual elements in cognitive sentences. In the continuation of his paper the author mentions the role of the addressee in the manifestation of one's thoughts and the attention one shows to the personality of the person one is addressing. The author next looks at the sensual-perceptual aspect of everyday speech. He finally mentions the trivial and frugal nature of everyday speech. If one aims to come up with some kind of differentiation within the everyday speech of *Satyricon*, then we can subsume the everyday speech of Encolpius and his associates under educated city speech while the speech of Trimalchion's social circle, alongside the language of members of the plebeian social circle, can generally be considered the speech of the populace. For understanding the question delineated in the article concerning the opposition between the human and the poetic it is enormously important that this opposition did not exist from time immemorial but that there was a time when poetic language was truly human in the primordial sense of the word. In this sense the opposition between the poetic and the human opens up a wholly new opposition, the opposition between contemporary poetic production and the production of former times. In such a manner the horizon of questions discussed in the article is broadened with a new question: what are the reasons for this state of affairs? Addressing exactly this question in *Satyricon*, Petronius at the same time questions the truth of his contemporary artistic production and in this manner puts on trial the truth of the language of his own literary heritage.